




A35.
GAUDEO.
John Carter Brown.






pages 3—48 non rognées.
—— 49/32 rognés à droite
figures rognées, ainsi que les titres

JJ





INDIÆ ORIENTALIS

PARS UNDECIMA,

quâ continetur

I. Duarum navigationum, quas jussu Emanuelis Portugalliæ Regis in Indiam Orientalem Ann. 1501. Dn. Americus Vespucius instituit, historia.

II. Vera atque hactenus inaudita Angli cujusdam relatio, qui nave quadam, cui Ascensionis nomen, in extremam Indiæ Orientalis oram *Cambajam* vectus, ac naufragium ibidem passus, postea quàm plurimas nobis incognitas regiones, amplissimasq; urbes peragravit, inque iis multa lectu audituque jucunda observavit.

III. Descriptio regionis *Spitzbergæ*: additâ simul relatione injuriarum, quas Ann. 1613. alii piscatores ab Anglis perpessi sunt: & protestatione contra Anglos, qui sibi solis omne jus in istam regionem vendicarunt.

Nunc primum latio donata, atq; elegantissimè in æs incisis imaginibus illustrata.

Sumptibus atq; operâ


JOHANNIS THEODORI de BRY, civis ac Bibliopolæ Oppenhemensis.




OPPENHEMII,

Typis HIERONYMI GALLERI.

ANNO M. DC. XIX.





Lectori Benevolo.

ALIQUOT jam abierunt anni, Lector amice, cùm variis ex locis varii, iique historicarum lectionum avidi apud me institerunt viri, ut in continuanda Indicarum navigationum historia ulteriùs progrederer. Ego verò ingenuè fateor, nullum me non operæ precium istac in re fecisse, imo quàm diligentissimè in quamvis occasionem intentum fuisse, quâ fieri posse sperabam, ut aliquid de moderno regionum in Orientali India detectarum statu, de novis eò deductis coloniis, aut susceptis navigationibus indagarem: Verùm hactenus præter ea, quæ ex peregrinis linguis in latinum idioma magno labore conversa, undecimæ huic Indiæ Orientalis parti jam insero, nihil obtinere potui. Nec est, quod Candidum lectorem turbet, tertiam & quartam Dn. Americi Vesputii Florentini, quam sub auspiciis Emanuelis Lusitaniæ Regis instituit, navigationem, huic libro à me præfixam esse. Cùm enim neque parenti meo piè jam defuncto, neque mihi ipsi ejus legendæ hactenus facta sit copia: ipse verò Vesputius in novo orbe retegendo, cui ex ipsius nomine Americæ nomen est inditum, facilè secundas à magno illo Christophoro Columbo obtineat, minimè ejus memoria oblivione sepeliri, aut rerum gestarum historia silentio à nobis præteriri debuit: præsertim cùm in prioribus duabus, quas jussu Castellæ regis Ferdinandi in Pariam suscepit, ut & in posterioribus hisce expeditionibus, multa occurrant notatu digna, quæ summam hujus viri in rebus agendis peritiam arguunt atque prudentiam. Illa verò in extremam Indiæ Orientalis oram, Cambajam nempe, navigatio, vel eam potissimùm ob causam, maximè est notabilis, quod ex ea videre liceat, quis locorum Indiæ Mediterraneorum in hodiernum usque diem sit status, quanta Tartarorum imperatoris Mogolis majestas ac potentia, quam præter varios labores ac ærumnas, quas animo patientissimo devoravit in hoc longinquo suo itinere, luculenter admodum Robertus Coverta descripsit.

Tertiam, quæ Septentrionem versus instituta est, navigationem, huic additam, non est, quod mireris. Cùm enim eo animo istud iter susceptum fuerit, ut novum aliquem versus Septentrionem in Cathajam aut Chinam indagarent transitum: historia ejus non minori jure huc pertinet, quàm aliæ tres eorum, qui in Novam Zemblam perrexerunt, suprà tertiæ Indiæ Orientalis parti insertæ fuerunt. Neque etiam hominum istorum labor absq; fructu fuit, cùm eorum operâ nova hæc Spitzbergæ *regio detecta sit, atque ab eo tempore Balænarum captura tanta ceperit incrementa, ut magnæ inde opes, quæstusque longè uberrimi, toti Christianorum orbi, atque Anglicorum in primis mercatorum collegio accesserint. Spe itaque ducor, fruorque bonâ, Benevole lector, hunc meum laborem, impensosque sumptus eo animo tibi probatum acceptumque iri, ut dum vita suppetit, ad historiam hanc majori cum voluptate atque industria excolendam calcar abs te mihi additum reipsa experiaris. Interim hisce vale, & fruere.*

TER-





TERTIA

DN.

AMERICI VESPUTII,

JUSSU EMANUELIS PORTUGALLIÆ REGIS IN INDIAM

Anno 1501. suscepta navigatio.

POSTEAQUAM Dn. *Americus Vesputius* in *Sebilia* aliquandiu commoratus esset, ut sese post tot in superioribus navigationibus exantlatos labores, curas, molestias, aliquantulum recrearet, viresque colligeret, rursus animum ejus Margaritarum insulas indagandi subiit desiderium. Dum verò ista secum agitaret consilia, jamque ad iter ineundum sese accingeret: Serenissimus Portugalliæ Rex *Emanuel*, misso legato obnixè ab ipso petiit, ut quàm primum Ulyssiponem ad sese veniret, quòd de mirandis quibusdam rebus ipsum facturus esset certiorem. *Vesputius* incertus animi, quid faceret: quò minùs ad Regem tum quidem temporis veniret, incommodiorem prætendebat valetudinem: significabat autem, quàm primum pristinas vires recuperasset, Regiæque Majestati suâ quali quali operâ uti visum esset, semper illi ex animo sua prompta fore obsequia.

Portugalliæ rex accersit Vesputium.


Rex excusationem hanc intelligens, satisque inde colligens, non posse, ut ad sese iret, adduci Vesputium, iterum *Julianum Bartolomæum Jocundum*, qui tum temporis Ulyssiponæ subsistebat, ablegavit, cum mandatis, ut quibuscunque posset modis, Vesputium, ut ad regem iter faceret, permoveret: cujus adventu & precibus tandem *Vesputius* iter ad regem ingredi quasi coactus est, quod plerique familiares ejus malum ipsi interpretabantur omen.

Sic igitur *Vesputius* ex regno *Castiliæ*, in quo in summo honore, & non exigua apud ipsum Regem gratia hactenus vixerat, eo etiam insalutato, Ulyssiponem ad regem Portugalliæ discessit: qui adventu ejus non parùm lætatus, crebris deinceps apud ipsum institit precibus, ut cum tribus navibus, quas eum in finem expediverat, novas regiones indagatum atque detectum proficisceretur, quoniam autem Regum preces præcepti vim obtinent, morem illi hac in parte gerendum censuit.

Vesputius Ulyssiponem ad regem se confert.

Cum tribus igitur illis navibus, viris rebusque necessariis probè instructis, ex portu Ulyssiponis decimâ Maji die, Anno 1501. abiens *Americus Vesputius*, prosperè cursum versus magnæ Canariæ insulas arripuit, ita tamen ut reliquas in conspectu continenter retineret: inde secundùm Aphricam Occidentem versus cursum instituit, ubi triduum commorati ingentem eorum piscium, quos *Phargos* vocant, comprehenderunt copiam. Porrò ad partem illam Æthiopiæ, quæ sub Zona torrida, & gradu 14. æquinoctialis lineæ in primo sita climate, *Besilica* dicitur, delati, post undecim dierum moram, de lignis & recenti aqua sibi prospexerunt, quòd

Discedit ex portu Anno 1501.



Auſtrum verſus mare Atlanticum trajicere decreviſſet Veſputius. Itaque por-
tum illum Æthiopiæ relinquentes, ſubſequente Auſtro in tantum iter ſuum
promoverunt, ut poſt continuam 67. dierum navigationem, ad inſulam quan-
dam, quæ 700. à portu illo aberat milliaribus, appellerent, in qua tamen ob
ventorum nimborumque impetus, majus incurrerunt periculum, quam unquam
antea in mari pertulerant. Cauſam tantorum malorum aſſiduæ circa æquinoctia-
lem lineam navigationi imputabant. Obtinebat iſtis in regionibus, menſe Junio,
hyems maximè, dies noctibus erant æquales, umbræque Meridiem verſus conti-
nuè projiciebantur. Tandem viſum ſupremo numini, ut 17. Auguſti aliam quan-
dam oram attingerent. Itaque ad leucam unam ab ea projectis anchoris, ipſi Cym-
bis porrò ad continentem provecti ſunt, cognituri, an regio iſta incolis habitare-
tur. In ipſo quidem portu & littore complures deprehendebant incolas, ſed ipſis
beſtiis deteriores, & immaniores, ut deinceps cognoſcemus. Initio quidem nullos

Veſputius regionem quandam occupat.

in portu & littore proſpiciebant homines, quamvis oram iſtam multo populo ha-
bitatam ex ſignis plurimis poſſent colligere. Hunc locũ *Americus Veſputius* cũ ſociis
nomine ſereniſſimi Portugalliæ Regis poſſidendum occupabat. Regio ſatis erat
amœna, viridis & fertilis, quinq; gradibus extra Æquinoctialem lineam Auſtrum
verſus ſita. Hiſce peractis eâdem adhuc veſperâ ad naves ſeſe iterum conferebant.
Quia verò magnâ lignorum & aquarum affligebantur penuria, unanimi conſen-
ſu proxima die in terram reverti placuit, ut de rebus hiſce neceſſariis ſibi proſpice-
rent. In eo verò dum eſſent, homines aliquot in cacumine montis animadverte-
bant, qui tamen timore præpediti ad ipſos deſcendere renuebant. Nudi erant o-
mnes, effigie & colore reliquis, quorum deſcriptionem in aliis *Veſputii* navigatio-
nibus dedimus, ſimiles. Satagebant quidem Luſitani, ut familiariùs ſecum con-


Incolarum barbaries.

verſarentur, nihilque non movebant: nulla tamen ratione ad humanitatem aut
colloquium aliquod ipſos pertrahere poterant. Ut verò eos allicerent magis, ſub
noctem ad naves iterum remeabant, relictis in eorum conſpectu nolis aliquot,
ſpeculis, rebusque id genus ludicris aliis. Vix ad naves ſuas appropinquantibus Lu-
ſitanis, barbari ex monte ad unum omnes ſumma contentione deſcendebant:
magnaque cum voluptate & admiratione reculas à Luſitanis ipſis expoſitas perlu-
ſtrabant. Hactenus verò præter aquam nihil ab ipſis obtinere potuerant Luſitani.
Mane facto, ex navibus eoſdem numero majori congregatos, paſſimque per ter-
ram ignes fumoſque excitantes videbant: itaque hiſce ſignis ad colloquium ſeſe
invitari rati, in terram progrediebantur, ubi tum complures confluxiſſe animad-
vertebant, qui è longinquo cõſtituti, ſignis quibuſdã editis, ut in interiorem inſulæ
partẽ ſeſe ſequerentur, monere Luſitanos videbantur. Ad hanc rẽ duo ex Luſitani.
operam ſuam offerebant, periculũ facturi, an cum gente iſta familiaritatem inire,
vel merces aliquas & ſpecies aromaticas obtinere poſſent. Impetrato igitur Præ-
toris navium conſenſu, aſſumptis minutis quibuſdam, quas cum incolis permuta-
rent, merculis, ea conditione in terram deſcenderunt, ut reditum ſuum quinque
ad ſummum dies ſocii præſtolarentur: qui eos aliquouſque comitati, ad naves po-
ſtea redierunt. Interea licet complures quotidie ad plagam iſtam convenirent,
nulla tamen neque colloquia, neque commercia cum Luſitanis inſtituere cupie-
bant. Ut verò ſeptimus affulſit dies, necdum revertentibus duobus illis, quos re-
gionem exploratum emiſerant, denuò in terram progreſſi, gentem illam mulieres
ſuas omnes ſecum adduxiſſe repererunt. Cùm propiùs ad illos perveniſſent, bar-
bari aliquot ex iiſdem mulieribus ſuis colloquii habendi gratia ablegarunt: Luſita-
ni autem cùm illas timidiores, minuſque ſibi fidere animadverterent, unicum i-
tidem ſatis validum juvenem ad ipſas mittere, ſeſeque ut abſque omni metu libe-

Juvenis quidam à mulieribus trucidatus.

riùs poſſent mulieres agere, navibus ſuis iterum committere decreverunt. Juvenis
iſte ad mulieres progreſſus, inter illas ſeſe immiſcuit: quem illæ circumſtantes, pal-

pare



pare undique, neque admirari satis posse videbantur. Interea verò alia quædam mulier, vallo instructa, è montibus descendens, propiusque à tergo ad juvenem accedens, tam valido ictu vallum, quod manu gestabat, capiti ejus impegit, ut is subitò mortuus in terram concideret. Quem confestim reliquæ mulieres manibus pedibusque correptum in montem ad viros suos protraxerunt. Virique magno impetu ex montibus ruentes, sagittis suis impetere Lusitanos non cessabant, qui stupore perculsi omnem armorum sumendorum animum abjecerant: neque tam celeriter scaphis suis, quæ arenam navigando radebant, ad naves majores aufugere poterant, quin telis obruerentur, neque parum ipsis damni à Barbaris inferretur. Tum verò, qui in majoribus erant navibus, quatuor machinarum fulmina, licet neminem ferientia, in ipsos disploserunt. Quo audito fragore ac tonitru, omnes cursim ad mulieres in montem confugerunt, quæ intuentibus Lusitanis juvenem istum frustillatim dissectum, cum ludibrio ostentantes, mox ad ingentem, quem succenderant ignem torrebant, atque postea manducabant. Viri quoque certis quibusdam indiciis innuebant, duos illos alios Christianos eodem modo à sese mactatos atque devoratos esse: quod ex tam horrendo spectaculo facilè ipsis erat colligere. Hoc verò dolebant, atque indignabantur magis, quod suis ipsi oculis tam immanem crudelitatem intueri cogerentur. Itaque plures quàm quadraginta ex sociis deliberato consilio in animum induxerant impetu in Barbaros facto, tam crudele facinus, & plus quam bestialem ferociam vindicare. Verùm cùm Prætor Navis nequaquam hoc ipsis vellet permittere: animo malevolo, grandiq; cum opprobrio, re infectâ ex illo loco discedere coacti sunt.

Postquam autem terram illam reliquissent, & favente Lybonoto, seu Austro-Zephyro navigare occæpissent, plurimos ambitus plurimosque gyros subinde sectantes: homines quidem interdum habebant obvios, sed qui neque ad colloquia, neque ad commercia adduci ullo modo poterant. Tandem Meridiem versus, ad terram aliquam 150. milliaribus ab isto loco, ubi tres ex sociis trucidati atque devorati fuerant, dissitam appulerunt, quam *S. Vincentii Campum* appellarunt, qui quidem campus octo gradibus extra Æquinoctialem lineam Austrum versus situs est. *Campus S. Vincentii.* Cum igitur in regione ista vagarentur, die quadam ingentem hominum multitudinem, navium suarum molem & structuram vehementer admirantium, quodam in loco conspexerunt. Itaque exscensione in terram factâ, cum populum istum aliquantò humaniorem & mitiorem deprehendissent, familiariùs cum ipsis agere, omnisque generis aromatum commercia per quinque dies integros contrahere cœperunt. Convenit etiam inter ipsos, ut duo ex illis, qui linguam eorum Lusitanos edocerent, unà in Portugalliam proficiscerentur: quemadmodum etiam tres illorum ultrò Lusitanos comitati sunt.

Porrò ex hoc portu solventes, cùm terram quidem in conspectu semper retinerent, scalas verò & ambitus complures facere cogerentur, populos quoq; quàm plurimos adierunt, donec tandem Austrum versus Tropicum Capricorni superarunt: in quo Horizonte Meridionalis polus triginta duobus sese extollebat gradibus: ursa minor ex oculis ipsorum jam effugerat, major verò ursa ferè in fine Horizontis sese ostentabat: stellæ poli Meridionalis, sub quo tum temporis cursum suum dirigebant, lucidiores, majores & frequentiores, quàm in Lusitania conspiciebantur, quas omnes Vespucius accuratè delineatas Diætis suis, seu navigationum suarum pleniori historiæ inseruit.

In hac verò à *Campo S. Augustini* navigatione, quæ juxta Continentem ad 700 milliaria extenditur, multa mira Lusitanis sese obtulere, quæ tamen *Vespucius* hoc in loco non recensuit, sed pleniori historiæ reservavit. *Campus S. Augustini.*

Cùm igitur decimum jam mensem peregrinarentur, nec quicquam tamen

auri



auri aut minerarum aliarum reperirent, visum communi consilio aliò per mare evagari, & sex adhuc menses novis indagandis regionibus impendere. Itaque cum de lignis & aquis necessariis sibi prospexissent, solventes inde, cursum Zephyrum versus direxerunt, donec 13. Febr. eousque pertingerent, ut Meridianum polum super Horizonta illum 52. gradibus elevatum deprehenderent, & utramque tam majoris, quàm minoris Ursæ stellam ex oculis planè amitterent, jamque 3. Aprilis die ad 500. miliaria progressi fuerant. Qua die tempestas & procella in mari exorta est vehementissima, quâ fluctus usque adeò intumuerunt, ut vela omnia colligere, & cum solo nudoque malo remigare cogerentur: quæ res tantum plerisque incussit stuporem, ut animum planè abjicerent, & de vita sua desperarent. Noctes quinetiam inibi erant maximæ: VII. enim Aprilis, Sole circa finem Arietis constituto, nox ad 15. horas circiter producebatur, hyemsque istis in locis erat intensissima. Insulam quidem istic loci, sed planè incultam & inhabitatam reperiebant, idque ob frigus istis in locis intolerabile. Cum igitur tam turbulenta jactarentur tempestate, ut vix alter alterum posset dignoscere, consilium de via in Portugalliam remetienda inire coacti sunt: quod quidem consilium ipsis cessit optimè, nam si vel unicam noctem diutius isto in loco hæsissent, de vita illorum omnium fuisset actum. Siquidem cùm vix anchoris sublatis inde discessissent, tantus postridiè ventorum nymborumque ingruit fragor, ut præsentissimum interitum omnes ob oculos cernerent. Itaque ad vota, preces, aliasque ceremonias, ut in eiusmodi casibus à nautis fieri solet, quisque convertebatur. Quintum verò jam diem cum horrenda hac tempestate luctati, contractis velis ultra 250. Leucas Æquinoctialem lineam versus penetrarunt, donec mari auræque temperatiori appropinquantes ex istis periculis à Deo altissimo eriperentur.

Tempestas vehementissima.

Reditus Vesputii.

Tempestas alia.

Porrò ergò cursum versus Æthiopiæ latus dirigebant, à quo per Atlantici maris fauces eundo mille trecentis adhuc aberant leucis: cumque ibidem ad australe latus, quod *Serra Liona* vocatur, 10. Maji, appulissent, 15. dies corporum suorum recreationi dederunt. Inde ad insulas *Lyazori* quæ 750. milliaribus à Serra Liona distant, pergentes, cùm sub finem mensis Julii eas attigissent, 15. itidem diebus ibidem substiterunt. Postmodo ad reditum Ulyssiponem, occasum versus, à quo adhuc 300. milliaribus aberant, sese accingebant: Cujus portum tandem feliciter magno omnium gaudio duabus duntaxat navibus Anno 1502. subierunt, quod tertiam, utpote navigantib. inutilem in Serra Liona injecto igne exussissent. In hac autem navigatione ad 16. menses domo abfuerant, è quibus undecim absque transmontanæ stellæ, ut & majoris minorisve Ursæ conspectu navigaverant, per aliam Meridionalis poli stellam cursum suum dirigere coacti: ut superiùs etiam commemoratum est.

Serra Liona.

Insf. Lyazori.

III. *Navigationis Vesputii*

FINIS.

QUAR-



QUARTA DN. AMERICI VESPUTII, JUSSU EMANUELIS PORTUGALLIÆ REGIS IN INDIAM Anno 1503. ſuſcepta navigatio.

Nova Veſputii navigatio.

CUM Dn. *Americus Veſputius Emanuelem* Regem de rebus ſuperiori navigatione geſtis feciſſet certiorem, is magnam inde percipiens voluptatem ſex adhuc alias adornavit naves, Veſputioque, ut ulteriùs novas regiones inquireret, author fuit.

Americus igitur Veſputius, cum prædictis ſex navibus, commiſſoque ſibi populo 10. Maij, Ann. 1503. ex portu Ulyſſiponis diſceſſit, inſulam quandam, Horizontem verſus ſitam inviſendi animo, cui *Melcha* nomen, quæque ob magnitudinem & divitias nobilis, & præclara navium ſive à Gangetico, ſive ab Indico mari venientium ſtatio habetur: quemadmodum & Calitia omnibus ab ortu in occaſum & vice verſâ navigantibus ſecuram præbet ſtationem: quod idem de Calecuto affirmatur, niſi quòd portus hic magis ad meridiem, Melcha autem ſub 33. poli Antarctici gradu ſita magis ad Occidentem vergit. Ut autem ad navigationis Hiſtoriam accedamus, Veſputius ad inſulas, *Virides* dictas, curſum ſuum direxit, ubi rerum neceſſariarum repertâ abũdantiâ, duodecim dies commorati, cum de neceſſariis, rebus ſibi probè proſpexiſſent, poſtmodo Zephyrum verſus curſum inſtituerunt. Navis verò Prætor, magis ut ſuam in ſocios oſtentaret poteſtatem, quàm quod reliquorum omnium conſenſus, utilitas, ipſaque id flagitaret neceſſitas, juſſit ut in *Serralionam* Auſtralem Æthyopiæ terram tenderent. Ad quam ipſis jam appropinquantibus, ut in conſpectu eam haberent, tam immanis atque acerba ſuborta eſt tempeſtas, ventusque contrarius usq; adeò invaluit, ut ad eam inſulam, quam jam pridem oculis uſurpabant ſuis, vix per quatriduum applicare poſſent, imò illâ planè relictâ, ad priorẽ navigationem regredi cogerentur. Sic ergo per Lybanotum relegentes iter, per anguſtias illas ad trecentas leucas progrediebantur: tãdem tribus penè gradibus extra æquinoctialem lineam conſtituti, ad 12. circiter milliaria, terram magno cum ſuorum omnium gaudio proſpexerunt. Quam aſſequuti, altam admodum atq; admirabilem, leucas duas longam, unam latam deprehendebãt. Licet autem nullus unquam antea in iſta regione, medio in mari ſita, fuiſſet, neq; etiam tum temporis à quoquam inhabitaretur, nihilominus tamen damnum in ea non exiguum perpeſſi ſunt. Navium enim Prætor navim ſuam ſtolido ſuo conſilio & gubernamine in ea perdidit, quæ *S. Laurentii* nocte, quæ Auguſti decima eſt, ad ſcopulos illiſa, inq; varias diſrupta partes, mari penitus ſubmergebatur. Erat hæc navis trecentorum onerum capax, eaque precioſiſſima quæque, ac totius cœtus robur vehebantur, quæ omnia miſerè interierunt, ſolis nautis ſubmerſionis periculum evadentibus.

Inſ. Melcha.

Inſ. Virides.

Naufragium.



Dum verò reliqui omnes de navi ista ex periculo subtrahenda admodum, sed frustra laborarent, idem ille navium præfectus *Vesputio* in mandatis dedit, ut scaphâ vectus ad eandem insulam, portum & securam pro reliquis navibus stationem inquireret: nolens tamen ipsi navim propriam, quæ novem nautis stipata in navis periclitantis auxilium pergebat, commitere. Itaque *Vesputius* assumptis aliquot nautis ad insulam, à qua quatuor adhuc leucis aberat, properans, portum inibi pulcherrimum, totique navium classi recipiendæ idoneum repperit. Quo comperto, per octiduum navium Præfecti cum cæteris navibus præstolabatur adventum. Qui cùm non advenirent, ægrè admodum, id ferebant omnes, adeoque obstupescebant, ut nullum solatiis relinquerent locum. Accidit autem, ut in istis angustiis constituti, ipsa octava die puppim per ęquor vehi cernerent, cui confestim obviam euntes, spe freti bona, fore ut hac navi ad meliorem aliquem portum deducerentur, posteaquam utrinque dicta salus, ex nautis intellexerunt, Prætoris navem, solis nautis exceptis, penitus iisse perditum. Qui nuncius *Vesputio* ejusq; sociis non exiguum terrorem incussit, utpote qui plus quàm mille milliaribus ab Ulyssipone remoti in vasto vagabantur oceano. Nihilominus fortunæ sese porrò subjicientes ad dictam modò insulam regrediebantur, ut de bona recentique aquâ, quæ magnâ cũ copiâ illo in loco scaturiebat, sibi prospicerent. Erat autem inhospita & inculta ista insula infinitis arboribus sylvisque obducta, ac volucrium marinarum atq; terrestrium magna ibi passim conspiciebatur copia, quę adeò simplices & cicures erant, ut manu sese comprehendi intrepidè paterentur. Ex captis igitur quàm plurimis naviculam unam adimplebant. Nulla autem alia in ea reperiebant animalia, præterquam mures quàm maximos, & lacertas bifurcatam caudam trahentes cum nonnullis serpentibus aliis.

A rebus igitur necessariis probè satis instructi, solutis inde anchoris, eodem, qui ipsis nominatim à Rege præscriptus erat, cursu progrediebantur; donec post continuam 17. dierum navigationem, ad portum quendam, ter centum leucis à dicta modò insula dissitum, quem *omnium Sanctorum Abbatiam* appellabant, appellerent. Hîc Prætorem navis præstolati, cùm neque ipse, nec quisquam alius adveniret, licet integros duos menses, diesq; quatuor ibi subsisterent, convenit inter ipsos, ut juxta littus longiùs progrederentur. Percursis igitur 260. leucis ad portum aliquem applicuerunt, 18. g. extra lineam æquinoctialem ad partem Austri, extra Ulyssiponis verò meridianum, Occidentem versus, 35. grad. situm. In hoc portu Castellum extruere visum ipsis fuit, cui pro præsidio 24. Christianos, ex proximo naufragio superstites, addiderunt. Commorati autem in hac insula menses quinque, ut interea temporis structuram castelli absolverent, cùm viderent, rerum necessariarum cõmeatum indies diminui, neq; ob nautarum paucitatem ulteriùs sese progredi posse, navim suam ligno Bresilico onerarunt, relictisque in propugnaculo 24. illis Christianis, cum 12. tormentis majoribus, armisq; aliis, & sex mensium necessario commeatu: ut & mercibus quàm plurimis aliis, quas ab incolis, quibuscum fœdus inierant, ut in pleniori historia narratur, fuerant lucrati, Ulyssiponem versus cursum instituerunt, quo exactis 77. diebus, post magna pericula, magnosque labores & molestias 28. Junii, An. 1504. annuente Deo incolumes pervenerunt; singulari cum gaudio ab omnibus excepti, quòd ipsos ad unum omnes cum Navarcho in mari jam diu disperditos arbitrati essent. Vesputius verò, cum de rebus in hac navigatione gestis Regem abundè fecisset certiorem, præclaris ab ipso muneribus ornatus, summoque deinceps in honore habitus est.

Abbatia omnium Sanctorum.


IV. Navigationis Vesputii.
FINIS.

VERA



VERA, ATQUE HACTENUS INAUDITA RELATIO ANGLI CUJUSDAM, QUI NAVI QUADAM, CUI *Ascensionis* nomen, in extremam Indiæ Orientalis oram, *Cambajam* vectus, naufragio ibidem facto, terrestri itinere quàm plurimas incognitas regiones, urbésq; amplissimas vario fortunæ modò sævientis, modò blandientis successu peragravit: ac quæ unoquoque in loco notatu reperit digna, literis diligenter consignavit.

CAPUT I.




NNO nati Servatoris 1607. septima Martii die, navem nostram, cui Ascensionis erat nomen, bono cum Deo, conscendimus: atque in *Dalensi* portu, qui *Sandwichia* tribus distat milliaribus, anchoras primùm excussimus. Hoc in loco morati, usque ad vigesimum quintum ejusdem mensis diem, summo mane sublatis anchoris, circa meridiem *Doveram* prætervecti, tribus tantùm tormentorum ictibus transitus nostri signum dedimus. Ubi ad tria millia ulteriùs provecti essemus, ventus contrarius insurgens, nos retro *Doveram* versus vela legere coëgit. Die itaque vigesimo sexto ex hoc loco solventes, ventus itidem excepit adversus, qui in proximùm usque diem navim ab anchoris suspendere nos coëgit: quo, cùm circiter octavam horam benignior afflaret aura, vela sustulimus, ac *Plimutum* vigesimo nono die paulò ante meridiem delati, ad ultimum usque hujus mensis diem ibidem substitimus.

Martij trigesimo primo die, vento usi propitio, denuò ad iter nos accinximus, atque alacri cursu perreximus, donec *Salvages* insula conspectui nostro sese offerret, quàm decimo Aprilis, qui dominicus erat dies, prætervecti sumus. Distat autem hæc insula *Plimuto* 500. milliaribus.

Die 11. Aprilis summo mane *Canarias* insulas, Hispanorum imperio subditas, attigimus.

Duodecimâ anchoras sub noctem depressimus, unumq; ex tormentis majoribus displosimus, ut hac ratione scapham aliquam ad navẽ alliceremus, sed frustra



id fuit, quippe antequam isthoc in loco appulissemus, rumor de duodecim Hollandorum navibus, in Hispanos impetum facturis, invaluerat: itaque, ut ex ipsis postea cognitum est, nos ex Hollandorum istorum, qui hostili animo istuc navem subduxissemus, esse arbitrati sunt.

Itaque 150. probè armatos equites partim, partim pedites in regionis præsidium destinarunt, qui si qua necessitas incumberet, vim ab incolis depellerent. Interim pertinaciter nos Hollandos esse opinabantur, neque ab istac sententia sese ullo modo abduci patiebantur, donec tandem duo ex nostris Commissariis in terram progressi illos de rebus omnibus, quas scire ipsorum intererat, & de quibus hactenus dubitaverant, abundè certiores redderent: eo nimirum animo nos appulisse, ut recollectis nonnihil viribus, de annona, quâ maximè laborabamus, nobis prospiceremus.

Postero mane, more solito, unum ex tormentis majoribus evibravimus: quo intellecto signo, urbis Capitaneus scapham ad nos ablegavit, quæ mentem nostrorum expiscaretur. Quam cùm exposuissemus, id responsi tulimus: Nisi in portu ordinario navem statueremus, pro lege officii, nulla in re se nobis auxilio esse posse. Tandem cùm Curatores nostros probè examinassent, illique jurejurando fidem suam obligassent, promiserunt, se, missâ ad navem nostram scaphâ, quacunque in parte possent, inopiæ nostræ opem laturos.

Illud maximè mirabamur, quòd duæ Anglicæ naves in statione ibidem ab anchoris hærentes, quas ex vexillis poteramus dignoscere, nullo indicio nos de ritu ac consuetudine astutæ atque invidæ hujus gentis nos commonefacerent. Verùm intelleximus posteà, legibus cautum, ne quis, quàm primùm stationem subierit, scaphâ ad aliam navem extra portum ordinarium adhuc constitutam, propiùs accedat, licet, qui in navi versantur, ejusdem secum sint nationis, nisi expresso Senatus atque Capitanei decreto hoc ipsi permittatur.

Quinque istis diebus, quibus moram istoc in loco traximus, indies complurés nos invisebant, qui inexplebili quadam aviditate, atque incredibili celeritate appositos cibos devorabant, vinaque exhauriebant. Capitaneo honoris ergò duos caseos, pernam, ac sex ostreis muriâ conditis plena vascula dono misimus, quæ hilari gratoque animo suscepit.

Gratiam enim retulit, tribus capris, duabus ovibus, ac cœpis magnâ copiâ nobis oblatis. Nos isto in loco in navem recentem aquam, vinum Canarium, mala Cotonea, *Marmaladas*, quarum pondo 12. nummis Anglicis æstimabatur, vascula item *Succeto* plena, quorum unumquodque 3. solidis Anglicis veniebat, adhæc mala aurea, medica, citrea, ut & candidissimos panes, anisi semine conspersos, quos *Monialium panes* appellant incolæ, intulimus.

Die 18. Aprilis ex insulis Canariis discessimus: cumque per tres horas vento usi essemus commodo, malacia oborta est, quæ usque in 21. diem cursum obliquare nos coëgit. Tum verò vento nos prosequente propitio, continua velificatione perreximus, donec 27. die sub meridiem in Insula *Majo*, 300. ferè milliaribus à Canariis dissita, anchoras defigeremus.

Insula Majo.

Aquam recentem ex loco quodam, *Bonavista* dicto, petituri, anchoris fundo jam impactis, demum cognovimus, aquam, eamque turbidam loco 2. aut 3. milliaribus à mari remoto, hauriendam esse. Itaque pauxillum tantùm aquæ in navem accepimus. Interim aliæ sese hoc in loco nobis obtulerunt commoditates. Cum enim primum appelleremus, duo Æthiopes nobis referebant nos infinitum Caprarum numerum pro voti nostri modo obtinere posse. Harum itaque trecentas in navem recepimus. Iidem asserebant, vix duodecim viros totâ insulâ reperiri, sal verò tantâ copiâ ex terra provenire, ut eo navem nostram abundè possemus onera-



nerare. Sal alioquin est præstantissimum ac candidissimum, ut simile ejus in Anglia vix viderim.

Insula S. Deago.

E regione hujus insulæ, ad 8. milliaria, disjacet insula *S. Deago*. Nos in prædicta insula, à 27 Aprilis, usque ad 4. Maji diem substitimus; tum verò ad iter continuandum vela sustulimus.

CAP. II.

Linea Æquinoctialis.

A Quarto Maji die, usque ad 20. continuè pergentes, istoc die Æquinoctialem lineam, quæ ferè 348. ab Insula *Majo* distat milliaribus, horam circiter 4. aut 5. trajecimus. Inde *Suldaniam* versus vela direximus, cujus oram quarta Julii die obtinuimus: Integri saniq; adhuc erant, per Dei gratiam, in navi nostra omnes, exceptis duobus, quos Icterus nonnihil infestaverat, qui tamen, quàm primùm in terram expositi fuerunt, pristinæ sanitati restituti sunt.

Caput Bonæ spei.

Hoc ipso die tractum promontorii Bonæ Spei etiamnum animadvertebamus, quod tamen à Suldania sexdecim milliaribus, sub gradu trigesimo quinto dissidet.

Suldania.

Hoc in loco recreatis nonnihil viribus, de 400. ferè pecudibus, bobus videlicet, tauris, ovibus, agnis, avibus, piscibus omnis generis, ac recenti etiam aquâ, magnâ copiâ nobis in futurum commeatum prospeximus.

Pinguinarum insula.


Non procul hinc, 5. aut 6. à Continente milliaribus distat, *Pinguinarum* insula, ubi magna volucrium ejusdem nominis copia, atque infinitus Canum marinorum reperitur numerus. Ad hos intercipiendos bis scaphas nostras ablegavimus quæ semper onustæ ad nos redierunt, ut adipem, atque oleum instruendis lampadibus necessarium abundè nobis suppeditarent. Invenimus quoque in hac insula, 20. probè saginatas oves, quas Hollandi pro Celoce quadam ibi deposuerant: nos oves istas acceptas, sex juvencis permutavimus.

Quàm primùm Suldaniam attigimus, Celocem nostram erigere atque extruere incepimus, quam etiã 5. Septembris in aquam devolvimus. Intra octiduum omnibus numeris absoluta, ac rebus ad iter faciendum necessariis, erat instructa.

Suldania, unum est ex regnis Æthiopiæ, cujus incolæ bestiali admodum atq; agresti more vivunt, quoad victum in primis: intestina enim cruda, ac stercoribus plena comedunt. si quid fortè de canibus marinis in fluentem, aut alium in locum projiceremus, etiamsi situ ac squalore putridum & putidum adeò fœteret, ut omnes è longinquo locum istum declinaremus, nihilominus tamen id Æthiopes isti, utut etiam vermibus vivis scateret, summa aviditate arreptum devorarunt.

Varia etiam in hac regione ferarum crudelissimarum reperiuntur genera, quarum rabiem extimescentes, ulteriùs in continentem progredi noluimus. Æthiopes ad littus nobis venum afferebant Strutionum ova, testasque vacuas unò in loco perforatas: adhæc Strutionum plumas, ac Porpontinas. Pro hisce mercibus ferrum, quod auro argentóve longè præferunt, potissimum expetebant. Etenim omnes nostras pecudes, aliasque res necessarias tritis ferri fragmentis, nobis comparavimus. Commorati sumus in hac regione à 14 Julii die, usque ad 20. Septembris.

Die 20. Septembris summo mane sublatis anchoris discessimus. Cumque ea nocte densissimæ tenebræ, nebulis ventisque mixtæ, ingruerent, bonam nostram navem, Unionem dictam, unà cum Celoce, cui Bonæ Spei nomen, ex conspectu amisimus. Pridie sub vesperam, navis Unio vexillum suum prætenderat, quo fine



incertum: quamvis hostile nihil liceret suspicari, tamen omnibus noctibus in excubiis assidui fuimus.

Die 21. ut & usque ad 27. Octobris subsequentibus, modò satis validos, modò contrarios, interdum etiam nullos ventos experti sumus donec juxta *Laurentii* insulam altitudinem 26. graduum attingeremus, atque ita per varias tempestates, densosque fluctus ad insulam *Gomoram* 24. demum Novembris penetraremus. Quamprimùm navis appulit, scapham in terram amandavimus. Statim adfuere quinque aut sex viri, qui Plantas quasdam nobis afferebant: nihil enim præter eas tum temporis licebat impetrare.

Gomora insula.

Postridie iterùm scapham terram versus expedivimus: paulò verò antè, quàm littus attingeret, Canoam quandam, inque ea duos Æthiopes, piscatui operam dantes, conspexerunt. Inter hanc terramque medium carpentes iter, non vi illos ad se pertrahere, sed ostensis quibusdam cultellis ad se pellicere studuerunt. Mox uterque scapham nostram ingressi, ipsam quoq; navem nobiscum conscenderunt. Nos illos perbenignè exceptos, atque unum tiarâ, alterum Aquæ vitæ seu vini adusti sextario donatos, ut ad suos redirent, comiter dimisimus.

Die 26. Commissarium nostrum, Jordanum, ad dona quædam regi offerenda ablegavimus. Is datis in reditum usque obsidibus in scapha, eò se contulit. Munera ista erant, novacula, tiara seu pileus Turcicus, speculum, unà cum pectine, quæ omnia 15. solidis Anglicis æstimabantur. Rex ea contemtim accipiens, ac vix intueri dignatus, uni ex nobilibus tradidit. Interim Commissario id responsi dedit, si quidem Præfectus noster in terram exscenderet, omnia pro virili ipsi suppeditatum iri.

Discedenti, accepto hoc responso, legato Rex in amicitiæ ac benevolentiæ signum sese nonnihil inclinavit, ac dona aliquanto diligentiùs contemplatus est. A meridie enim Præfecto opimum bovem dono misit, quem nos boni consulentes, ductores ejus unò cultrorum pari, semissis æstimato remunerati sumus, quo illi probè contenti discesserunt.

Novembris die 27. Præfectus noster, duodecim viris stipatus, in terram exscendit, assumpta secum in prandiolum Marmaladæ sportulâ, ac Succeti vinique vasculo. Dum hisce in conspectu Regis vescerentur, ipse rex quidem nihil eorum degustavit, interim nobiles ejus affatim ederunt, satisque liberaliter biberunt. Finito prandio, Præfectus cum Rege per interpretem locutus, annonam necessariam ab ipso flagitavit. Conjecturâ colligebamus, Regem hactenus sua cum Lusitanis instituisse commercia, quod linguæ ipsorum non planè esset ignarus.

Die 28. decreverat rex navem nostram conscendere, quam sententiam postea tamen mutavit: intelleximus enim ex interprete, Regis consiliarios ac subditos factum id improbasse. Sub vesperam ego ad littus me contuli, ubi nostri homines ligna quædam cædebant, paulò post scaphâ ad navem reversus.

Eodem 28. die iterum cùm Navis patrono M. Tindallo, Commissario Jordano, atque universo tubicinum choro in terram progressus sum, ubi regis interpres in littore nos peramicè exceptos ad regem, qui tum in area Palatio vicina versabatur, deduxit: Is propinquior factus, summa cum reverentia inclinato capite nos salutavit. Quotiescunque rex in publicum prodit, sex octóve armati ipsi cultros acutissimos, pedem longos latosque instar securium quàm proximè præferunt, interim Satellites alii præcedunt, ac subsequuntur, qui ab omni vi atque injuria regem tutum atque incolumem præstent.

CAP.



CAP. III.

HOMINES hi exteros summa benevolentia, comitate ac fide videntur prosequi: cum enim inter eundum & redeundum unus ex nostris gladium suum in littore reliquisset, idque in navem jam reversus primùm advertisset: accidit, ut unus ex *Gomoræ* incolis gladium istum in littore repertum ad Regem deferret. Qui cum intelligeret: Gladium istum ad nos pertinere, statim hominem istum interrogavit: Unde gladium istum accepisset: qui cum se eum invenisse diceret, Rex, siquidem aliter rem se habere comperiret, capite eum luiturum respondit. Postridie cùm in terram rediissemus, Regis interpres benevolentiam Regis sui prolixè pollicitus, gladium nobis restituit. *Regis integritas.*

In moribus etiam satis sunt civiles: si quis enim matutino tempore alteri fiat obvius, mutuas manus porrigunt, ac se invicem alloquuntur, ac si alter alteri nostro more salutem diceret. Alioquin tam viri quàm fœminæ corpore sunt agili, crassis pedibus, ac moribus satis politi. Religio cum Mahumetana superstitione eadem. Nudi maximam partem incedunt omnes, nisi quòd pudenda linteo velent, ac tiarâ caput tegant. *Mores incolarum.*

Mulieres linteo obnubunt pectus, quod ab umbilico in genua usq; propendens nudam cutim ambit: corpus verò amplo ac rotundo cingulo, eoque pendulo constringunt; qui ornatus haud quaquam malè ipsis convenit.

Discalceati incedunt omnes, excepto Rege, qui calceos indutus est: Vestitus Regis, cùm ipsum viderem, hic erat: primùm habebat mitram reticuli in modum contextam, deinde thoracem purpureum, manicis volantibus distinctum, atque antrorsum apertum: medium ventrem lintea palla succingebat, porrò aliud amiculum ex humeris in pedes usque propendebat. *Regis vestitus.*

Interea, dum in urbe ista morabamur, incolæ nuces Indicas venum nobis offerebant, quæ magnitudine formaque rotunda excedebant, aut certè virile exæquabant caput. Nuces istæ juxta uniuscujusque corticis proportionem tantum aquæ cibique continebant, quantum in unius viri prandium sufficeret. Adportabant etiam anseres, gallinas, cuniculos, limones, orizam, lac, pisces, aliaque id genus, quæ in suos quisque usus sibi comparabat satis vili precio: duæ enim gallinæ, cultello obolari, limones atque nuces Indicæ, ferri veteramentis, clavis, confractis hastis, & similibus permutabantur. Aquæ autem recentis magna istic loci est penuria: quam habent, ea ex arena scaturit, in qua scrobem primùm defodiunt, postea promanantem aquam nucum corticibus excipiunt, atque in potum reservant. Obtulerunt quidem nostris hominibus aquam istiusmodi, verum quod fœculenta & turbida esset, nemo nostrûm eam degustare sustinuit. In hac insula Gomora à 25. Novembris usque ad 29. diem commorati demum aspirante cœptis vento discessimus.

Decima Decembris sub crepusculum lucente adhuc lunâ nec opinantes humilem quandam regionem proceris arboribus consitam in littore maris animadvertimus, cùm vix uno milliari navem à terra subduxissemus. Certè nisi arbores istas conspexissemus, regionem istam umbram, quam luna de se spargeret, arbitrati, facilè præsentissimum vitæ fortunarumque discrimen incurrissemus. Sed visum numini nos de imminenti periculo præmonere, cujus propterea, nomini gratiæ debentur immortales.

Regio istæc, insula *Pemba* erat, quam nos initio *Zenzabaram* esse opinabamur, donec *Pemba insula.*



donec ab Incolarum uno rectiùs certiusque edoceremur. Conspicati igitur humi-
lem istam insulam, navim à littore, donec dies illucesceret, abstinuimus: orto verò
jam sole, terrę propinquantes portum anchoris figendis oportunum inquisivimus:
interim per canalem quendam Celocem nostram una cum M. Elmore, qui locum
aquæ hauriendæ idoneum vestigaret, emisimus; ne quicquam cursu nostro, donec
Celox rediret, immutato. Incolæ Lusitanorum linguâ nos interrogantes, quinam
essemus, cùm Anglos nos esse, intellexissent, porro instabant: Ecquid ergo nobis i-
stoc in loco, qui Regem Portugalliæ dominum agnosceret, esset negocii? Quibus
responsum: Id quidem nos ignorasse, cæterum non hostili animo, aut re ante dibe-
rata eò venisse: aquam tantummodo expetere, pro qua illis abundè satisfacturi sint
ut & pro aliis rebus omnibus, quas quidem ipsis porrò allaturi sint. Sic isto die u-
trinque discessum.


CAP. IV.

VNDECIMA die scapha ad priorem locum in terram reversa, il-
lum hominibus vacuum deprehendit. Itaque post meridiem sub-
latis anchoris ad tres anfractuosas insulas, quæ *Pembam* insulam
quàm proximè attingunt, perreximus. Locus autem, quo ancho-
ras excussimus, sub altitudinis g. 5. m. 20. situs erat.

Die 12. Celox nostra una cum M. Jordano, atque ex merca-
toribus uno terram versus priorem ad locum rediit, qui in terram
egressi, habito cum aliis quibusdam, non prioribus illis, incolis colloquio, intelle-
xerunt, Regem istius insulæ Mallaibarem esse. Itaque Jordanus ipsis significavit:
Licet navis nostra ex Anglia solvisset, se nihilominus Lusitanum esse mercatorem
& merces omnes navi vectas ad Lusitanos pertinere. Tum verò omnem annonam
benevolè nobis polliciti incolæ, per Æthiopem quendam commodum aquandi
locum nobis commonstrarunt. Caverna erat ad pedem montis, quam ab uno late-
re mons, ab altero agger manu factus ambiebat. Vasis omnibus recenti aquâ jam
completis, cùm ad navem redire constituissemus, Æthiopem istum cujus indicio
aquam obtinueramus, simul ut navim nobiscum conscenderet invitavimus.
Hunc perbenignè exceptum postero manè in terram rursus exposuimus: qui
ad suos reversus, cùm passim nostram humanitatem deprædicasset, complures a-
lios, atque in his Nobilem quendam, qui dictionum aliquot gallicarum gnarus erat
secum ad littus deduxit. Nos itidem eos in navem acceptos, comiter tractavimus,
postridie verò ad terram iterùm deduximus. Nobilis iste paulò post aliquot galli-
nas, nuces Indicas, ac mala aurea, sicuti promiserat, nobis afferebat.

Navarchus etiam noster, me, M. Reveto, aliisque aliquot comitatus, in ter-
ram ad prandium capiendum se contulit: quo finito, duo equites una cum Æthio-
pe, quo mancipio utebantur, ad locum aquationis, ubi nostri aquæ hauriẽdæ gna-
viter intenti erant, devenientes interrogarunt, Ecquis ex primoribus navis, aut
mercatorum collegio adesset. Quibus Edoardus Charmannus, unus ex mercato-
rum collegio respondit Adesse Navarchum & primarium quendam mercatorem,
quos, siquidem colloquium cum iis instituere visum, adducturus esset. Ut conve-
nerunt, equites cum more Lusitano nos salutassent, quinam gentium essemus,
quæsivere. Cùm Anglos nos esse diceremus: illi felicem nobis adventum gratulati,
omnem, quæ quidem tota insulâ comparari posset, annonam nobis benignè obtu-
lerunt: Quod grato animo à nobis est acceptum.

Verùm isthæc saccharo condita verba, dolo suo, quem postea magno no-
stro malo experti sumus, rectiùs occultando prætenderant. Cum nos vicissim in-
stare-



ſtaremus, ut quinam ipſi eſſent, indicarent, reſponſum tulimus: Alterum eſſe Regis fratrem: qui confeſtim annulum argenteum proferens, cujus palæ vici ac pagi totius inſulæ inſculpti erant, ſe omnium iſtorum locorum ſupremum Dominum eſſe affirmabat. Porrò rogati; Num etiam Luſitani in inſula iſtac reperirentur: Illos omnino à ſe extirpatos atque profligatos retulerunt: quippe qui omnia vi ipſis extorquere, incolas inſulæ in perpetuam ſervitutem abripere, quotieſcunque venirent, bella movere acerrima fuerint ſoliti: proinde hanc illorum contumeliam ſe diutiùs haudquaquam ſuſtinere potuiſſe.

Regis Pembæ frater.

Interea Celox noſtra, quæ ad alium quendam locum, ſi quas fortè pecudes impetrare poſſet, perrexerat, inanis ac vacua rediit. Incolæ pecudes quidem polliciti fuerant, verum illas in tempus proditioni, quam machinabantur, commodiùs reſervarant.

Referebant tamen ſocii noſtri, ſe cognoviſſe, in altero inſulæ latere, quò pecudes petitum navigaverant: Quindecim naves Hollandicas arcem *Moſembiquam* trucidatis in ea Luſitanis omnibus, expugnaſſe; quod veritati congruum eſſe, etiam Zinzibaræ incolæ affirmarint. Nuncium hunc Equites iſti, ut erant fallendi, doloſque ſtruendi artifices eximii, ſumma cum lætitia atque applauſu exceperunt, ut poſtea eò féliciùs nos incautos proditionis ſuæ periculo objicerent. Sub noctem illos, ut navim noſtram conſcenderent, invitavimus; verùm illi id facere detrectantes, poſtridie ad navim ſe reverſuros, ſpoponderunt: quod & factum eſt.


Priuſquam verò navem noſtram ingrederentur, obſides ſibi dari petierunt, quos & obtinuerunt, Thomam nempe Cavum, Gabrielem Prokium, & Laurentium Pigottum chirurgum noſtrum. Regulus interim cum duobus aliis comitibus ſatis lautè à noſtris in navi excipiebatur. Poſtridie, qui 18. Decembris erat, illos ad littus revehendos curavimus: ac Regulo quidem Generalis noſter duas capras, ut & thecam chartaceam pulvere nitrato plenam; reliquis verò duobus minoris precii merces dono obtulit. Ut in terram ventum, M. Revetus, Jordanus, Glaskockus, alii eos, ut noſtros quoque obſides reciperent, ſubſequuti ſunt. Dum ita abſque ullo periculi ac proditionis metu, noſtri unà cum Equitib. iſtis, ad domicilia ipſorum incauti progrediuntur, obſides ſuos 50. aut 60. armatorum cuſtodiâ attineri animadverterunt. Barbari iſti ſuis quiſque armis, utpote arcubus, ſagittis, gladiis, ſcutis, jaculis, atque acinacibus inſtructi erant. Quamprimùm eò devenimus, illicò receptis obſidibus, ad latus maritimum ſub conductu Regii fratris, quem frequens Æthiopum ſtipabat manus, perreximus. Ex his octo ad celocem uſque noſtram nos comitati cum reliquis ad ſuos tandem redierunt. Nos ſcapham continuò intrantes, Regis fratrem, ut unà nobiſcum ad navim uſq; proveheretur, invitavimus. Cum is petitioni noſtræ annuiſſet, in navi perquam amicè atque hilariter tractatus ſub veſperam etiam, cum neceſſariò ſibi abeundum diceret, cultello aliiſque id genus vilis precii merculis à Navarcho noſtro donatus eſt: quas tamen ille ut ſe indignas aſpernatus, ſcaphâ noſtrâ ad ſuos in terram rediit. Facilè hinc erat colligere, ipſos monſtri quid alere, ac proditorias artes adverſum nos moliri: itaq; cautiùs ac circumſpectiùs exſcenſionem in inſulam faciendam eſſe decrevimus.

CAP. V.

DEcimo nono Decembris die ſcapha noſtra oblonga ad littus aquatum appulit Cùm verò Æthiopes vela navis, ut eò citiùs exſiccarentur, expanſa cernerẽt, nos abitum parare arbitrati ſunt. Itaq; Regii fratris comes, Gubernatoris noſtri Vicarium accedẽs, nunquid ad iter nos accingeremus, inquiſivit: Is, prout poterat, non alium in finem, quàm ut vela ſiccarentur citiùs id factum reſpondit. Interea dũ hos ſermones miſcemus, ecce celox noſtra aliquot armatis probè munita atq; inſtructa approperat, atq; ita ulteriorem inquiſitionem abrumpit, magno noſtro bono. Absq; ea enim fuiſſet, ad unum omnes trucidati, etiam ſcaphę jacturam feciſſemus. Duo enim ex iis nebulones in denſos quoſdam frutices, mari vicinos ſeſe abdiderant, ad primum impetum faciendum, ſiquidem ſignum ipſis datum fuiſſet, ſatis parati. Verùm cùm Celox noſtra terræ jam appropinquaſſet, noſtri haud procul inde exſcenſione facta, rerum ſuarum quàm diligentiſſimè ſatagebant. Navarchus noſter Nicolaum quẽdam Witum ad loci incolas, qui de mercatorum noſtrorum adventu ipſos certiores redderet, ablegavit: qui domicilia eorum præteriens, obiter magnam in iis armatorum manum, atque inter cæteros, ſex Luſitanos ſtolâ Damaſcenâ eaq; variè undulatâ, ac ſerico cæruleo ſubducta, ut & albis femoralibus ex linteo Indico confectis conſpicuos obſervavit: idq; reverſus Navarcho indicavit. Interea Regii fratris comes ad nos veniens, ſignificavit M. Reveto, mercatores ſuos ex itinere defeſſos etiam atque etiam rogare noſtros, ut ad ſe pecudum greges rectiùs contemplaturi, haud gravatim porrò pergerent, cùm tamen unicum ſe tantum bovem vidiſſe, Nicolaus Witus oſtenderet. Verùm M. Revetus id modeſtè deprecatus, petiit, ut bovem iſtum quàm proximè littus agerent, multas enim ſcaphâ merces detineri, ex quibus ipſis abundè ſatisfacturi ſint. Itaque Barbarus iſte, cum nos meliùs quàm antea, ab armis inſtructos cerneret, pedem retulit. Interim Regis frater, qui in littore præſens aderat, Æthiopi cuidam mandarat, ut nuces quaſdam indicas pro Generali noſtro colligeret, ad eas auſportandas ex noſtris *Edoardum Churmannum* deſtinavit: quem poſtea nunquam vidimus, nec quid ipſi acciderit, cognoſcere potuimus. Cùm verò neminem ex noſtris porrò progredi, ſed quàm vigilantiſſimè excubias agere cernerent: ſymbolo dato, cornuque quodam inflato noſtros homines aquationi intentos adorti, ex iis *Johannem Haringthonum* Vicegubernatoris famulum trucidarunt, *Robertum* verò *Boclerum M. Ellanoris* miniſtrum decem diſtinctis vulneribus ſauciarunt, illum utique interfecturi, niſi Muſquettas aliquot in hoſtem evibraſſemus, quibus læſi nonnulli, magno clamore edito fugam capeſſivere. Miniſtrum illum vulneratum in navem detulimus. Quidam etiam ex noſtris, ſcaphæ noſtræ adventum præſtolantes, in foveas ſeſe abdiderant: atque ita feliciter periculum evaſere. Inſtituta enim numeratione, neminem præter *Edoardum Churmannum*, & *Johannem Haringthonum* deſideravimus. Mox ad ſocios in navim reverſi, quam fortunæ periculique aleam terrâ ſubiiſſemus, recenſuimus, in primis quod *Robertus Boclerus* Chirurgus noſter lethaliter vulneratus eſſet, qui tamen brevi poſt, diligenti adhibitâ curâ, feliciter eſt ſanatus.

Edoardus Churmannus deſideratur.


20. die, ſummo mane Celocem noſtram, ut & oblongiorem ſcapham probè armatam ad littus impulimus, ut *Davidem* noſtrum (ſic inſtrumentum vocant ligneum, quo in anchoris fundo extrahendis uti ſolent) in terra relictum repeteremus: ad cujus latus haud ita procul *Johannem Haringthonum* mortuum,



acve-

ac vestibus omnibus spoliatum reperimus, qui postea in minori quadam insula, huic admodum vicina terræ à nobis mandatus est.

CAP. VI.




INCOLÆ hujus insulæ Pembæ naturâ ad humanitatem & mansuetudinem videntur inclinare. Quidam enim ex iis sub primum nostrum in Insulam adventum, me aliosq; signis monebant, cautè ac circumspectè nobis agendum, ne fortè ad unum omnes trucidaremur. Verùm ista tum temporis flocci facientes vili pependimus, quæ tamen postea proditio hæc in mentem nobis revocavit. Nos ipso hoc die anchoris levatis, vela ventis dedimus. Sub noctem, horam circiter 12. navis nostra violenter admodum in *Melvidere* seu *Pembæ* finibus, quos præ tenebris dignoscere haud poteramus, fundo allisa est: Verùm Dei præsentis opem, ut antea sæpius, ita & hic experti naufragii periculum feliciter evasimus.

Die 21. summo manè tres naviculas seu scaphas, *Pangajas* dictas, ac levi opere extructas, in salo fluctuantes conspeximus. Has interceptas penes nos detinuimus. Incolæ id animadvertentes, *Pangajam* statim aliam cum speculatore, qui rem certiùs cognosceret, ablegarunt, ipsi verò ad suos reversi sunt. *Aliquot naviculæ detinentur.*

Quadragenarium excedebat captivorum numerus, in quibus octo præ cæteris maximè eminebant; hos quòd colore essent pallido, albicante, atq; à cæteris Æthiopibus diverso, nostri Lusitanos esse arbitrati sunt: illi tamen Lusitanos se esse constanter pernegarunt, Æthiopes se professi: in cujus rei fidem terga characteribus exarata commonstrabant: simul indicantes, Lusitanos haudquaquam circumcisionis ritum admittere.

Socii autem nostri minimè se passi persuaderi, in sententia, Lusitanos illos esse, perseverarunt: prolixè iis exprobrantes, quàm proditoriè istius insulę Æthiopes cum ipsis egerint, quòd per ejusmodi fraudes duo ex sociis perierint, tertius lethaliter vulneratus vix animam traheret. Non parum hisce auditis animi captivorum percelli videbantur, quibus metuendum, ne in ipsos vindictę initium fieret. Itaque clandestina inter se, suâ linguâ, miscebant colloquia, unde adhuc major nostris oborta suspicio, nefarium aliquod istos nebulones moliri facinus: quippe gladios nostros, qui in Navarchi cubiculo ipsis probè cognito nudi asservabantur, quàm diligentissimè observabant, adhæc intentis oculis prospectabant, ubi M. Glaskockus, egoq; gladium meum deposuissemus. Quod cùm animadverterem, omni studio cavi ne majus aliquod damnum nobis inde inferri posset. Versabar ego solus in superiori navis parte: neq;, licet tertiò aut quartò apud me instarent, sub tabulatum ad ipsos me recipere volui: ne fortè gladiorum facti compotes, ulteriorem, quam quæ posteà contigit, stragem edidissent.

Nauclerus noster, sub tabulatum se conferens, Pilotam horum Æthiopum ad se vocatum in cubiculum suum introduxit, ut mappâ nauticam ipsi cómonstraret. Dum cum ipso descenderet, suos Æthiopicâ linguâ, quantum quidem colligere poteramus, affatus monuit: diligenter atque intentis animis arrectisque auribus observarent, quando signum ipsis daturus esset, ac tum, quàm maximè possent, alacriter rem aggrederentur. Cumque Pilotam cultrum penes se habere, spargeretur: instituta quidem diligens est inquisitio, verùm nebulo iste cultrum ab uno latere in alterum versare gnarus, illum nec opinanti naucler o in ventrem impegit, sicque magno clamore sociis pugnandi symbolum dedit.



Ingens inde ſub tabulato oritur fremitus ac ſtrepitus: ad quem ſedādum M Glaſkockus, Generalis aliique accurrentes, quinque ex albis iſtis nebulonibus conficiunt: cùm verò reliqui quàm pertinaciſſimè reſiſterent, tanta edita eſt ſtrages, ut quinquaginta eorum, donec deditionem facerent, interfecti ſint.

Paulò ante, quàm Nauclerus noſter Æthiopum pilotam ad ſe vocaret: decreto Generalis captivis denunciatum fuerat: ſiquidem piſa penes ſe haberent, ea precio æquo nobis divenderent: tùm quicquid ipſis ablatum eſſet, continuò redditum, ſeque adeò ipſos priſtinæ libertati quam primùm reſtitutum iri. Hunc in finem Nauclerus Pilotam accerſendum curaverat, num mappæ nauticæ etiam peritus eſſet, exploraturus, poſtea ipſum cum reliquis captivis liberum dimiſſurus. Detectâ interim proditione, acrique coortâ pugnâ, periculum, quod vitæ fortuniſque noſtris ingruebat, haud aliter à cervicibus noſtris depellere potuimus.

Quinque aut ſex iſtorum nebulonum magnà in natando celeritate uſi, arreptâ unâ ex naviculis, in terram evaſerunt. Tam celeriter etiam adverſo vento pronatabant, ut Celox noſtra, remis impulſa, eos aſſequi non poſſet.

Hoc in tumultu tres tantum ex noſtris vulnerati ſunt. M. Glaſkockus duo acceperat vulnera, quorum alterum in tergo ſatis profundum ac periculoſum erat: M. Tindallus, quem inermem cominus aggreſſi erant, inverſo nonnihil corpore, vulnus in brachio excepit: Nauclerus autem, ut dictum in ventre plagam ſuſtinuit: qui tamen omnes, Dei gratia, probè curati, ac feliciter ſanati ſunt.

CAP. VII.

DECIMA nona Januarii ad novem incultas, nec abs hominibus habitatas inſulas pervenimus, quas Luſitani, Almaiſant, nominant.


Die 20. celocem noſtram ad harum inſularum unam ſummo mane aquam recentem allatum ablegavimus, quæ tamen aquæ vacua ad nos rediit; interim cùm magna turturum ibi reperiretur copia, ſex eorum ſecum attulit.

Poſtridie ad aliam quandam inſulam deflectentes, reperto 13. orgyiarum fundo anchoras fiximus: cum verò portum haud incommodum nacti videremur, ibidem uſque ad primum Februarii diem ſubſtitimus, abundè nobis interim de recenti aqua, nucibus Indicis, piſcibus, palmitibus, columbis proſpicientes.

Calendis Februarii, vento nos à puppi proſequente uſque ad 19. diem continuò perreximus, quo ſecunda vice Æquinoctialem lineam ſubivimus: die verò 15. *Malveidii* regio nobis in conſpectum ſe obtulit.

Decima ſexta die anchoras duobus à continente milliaribus ad 12. orgyias depreſſimus, celoce ad cibos viribus recreandis neceſſarios in regionem dimiſſa. Verùm illi, cùm neque commodè navem ad littus propellere, neque ulla ratione incolas meticuloſos poſſent ad colloquium allicere, re infecta redierunt. Itaque ſub meridiem aliò vela direximus. Sub idem tempus pueri cujuſdam nautici, Guilhelmi Actoni nefandum ſcelus innotuit: quam ob cauſam in jus vocatus, capitiſque damnatus, tertia Martii die, ſummo mane, meritò mortis ſupplicio affectus eſt.

Martii 21. iterùm deſertam quandam inſulam conſpeximus ſub altitudinis gradu 12. minutis 17. Progreſſi ad 3. milliaria, tres montes ſeu ſcopulos, itidem incultos,



cultos,habuimus obvios.His è regione tres insulæ obiiciebantur, in quarum una, *Sacatora*,quòd portus esset commodus,anchoras jecimus.Incolæ,ut primum nos conspicati sunt,accensis passim ignibus in fugam se conjecerunt: quod opinionem nobis attulit,paulò ante damnum aliquod ipsis allatum esse.Scapham quidem ad littus impulimus,verùm qui in ea erant,omnia quàm diligentissimè perlustrantes, nihil repererunt,quod recreandis viribus inservire posset.

Littus itaque hac vespera legimus, si fortè meliorem portum possemus deprehenderer.

Pridie Calendas Aprilis Gusseratarum quandam navem xylino, Calicoë, & Pentathoë onustam, quæ Adenam versus ibat, obviam habuimus. Huic comites nos adjunximus, quòd dicerent, civitatem istam emporio frequentissimo maximè nobilem esse,quod secus tamen experti sumus:quippe,quę militum præsidio ac castello,quod mare undique alluitur, ac 32. tormentis majoribus instructa est, munita,50.ejusmodi tormenta in sui defensionem continet.

CAP. VIII.

ADENAS 10. Aprilis pervenimus. Gussaratarum navis in portum civitatis subducta, nuncium Pręfecto attulit: venisse Anglos, qui commercia cum incolis instituere cuperent. Is statim Admiralem suum ad nos ablegavit,ad quem Generalis noster cum aliquot sociis incautiùs progressus, à quatuor equitibus robustissimis exceptus, ac magna solēnitate ad Præfectū civitatis est abductus. Qui cùm Generalem nostrum, simplicem ac credulum esse animadverteret,illum in ædes quasdam deduci,ibique firmo Janitzarorum præsidio custodiri jussit:qua quidem custodia ego unà cum Generali sex integras septimanas detenti fuimus.

Interim Præfectus iste Generalem nostrum adegit,ut ex navi nostra tantùm ferri,stanni,pannique expromeretur,quòd illa æquo precio se empturum simularet, ut plusquam 25000. taleris censerentur. *Perfida Præfecti Adenanum malitia.*

Ubi verò isthæc in terram egesta sunt,omnia sibi vectigalium jure vendicavit.Mox 27. Maji dimisso Generali duos ex mercatoribus detinuit,quos,nisi 2000. taleros pro anchoris isticloci defixis exsolverent, minimè libertati se restituturum edixit.

Cùm verò universa societas tantum pro illis dependere recusaret, illos octo dierum itinere ad Bassam *Sienensem* curavit deportandos.

Die 28. Celox ad nos reversa retulit, Nauclerum suum, à Thoma Clarcæo, qui præacutum malleum capiti ejus inflixerat,nefariè trucidatum esse, eam duntaxat ob causam,quod Aquæ vitæ,seu Rosę Solis paululum in extremos usus reservare decrevisset.Sicarium hunc extimularant Volpertus Franciscus Driverus, Andreas Gansius,& Edoardus Hillius. *Nauclerus trucidatur.*

Itaque pridie Calendas Junii causa coram judicibus capitalibus cognita, duo ex iis ad mortem condemnati,in celoce,ubi facinus perpetratum erat,suspēsi sunt. Reliqui duo vindictam divinam haudquaquam effugerunt.Edoardum enim Hillium Charibes,seu Anthropophagi vorarunt:alter, membris putredine corruptis consumptisque miserè extabuit.

Tertia Junii die denuo ad iter nos accinximus, strenuè pergentes,donec per fretum aliquot milliaribus à *Moqueo* dissitum in mare Rubrum penetraremus. In ostio freti istius brevia ad duo occurrunt milliaria,quæ justa latitudine declinanda

ſunt,ſi quis ſalvus in ipſam civitatem,quæ 6.milliaribus inde diſtat, pertingere velit.Statio hoc in loco navibus ſubducendis, anchoriſque ad 14. orgyias ſolo ſolido infigendis commodiſſima eſt.Neque portus unquam navibus vacat. Confluunt enim eò Caravanæ tanquam ad Emporium longè celeberrimum ex Siene,Mecha Goa,Alexandria. Noſtræ etiam merces, quæſtu uberrimo, diſtrahuntur, utpote ſtannum, ferrum, plumbum, panni,gladii,frameæ, aliæque res ex Anglia deportari ſolitæ.Mercatus quotidie celebratur frequentiſſimus, ubi omnis generis fructus ceraſa,mala cotonea,dactyli,uvæ,limones,*Praches*,aliæque plantę venum exponuntur,quod maximè ſum demiratus, cum aſſererent incolæ ſeptennii ſpacio, nullas iſtic loci decidiſſe pluvias:nihilominùs tanta frumenti copia ibidem cernebatur,ut modius 18.nummis Anglicis æſtimaretur.


Pecudes quoque vili admodum precio comparari poſſunt,bos tribus taleris, capra,ut & ovis,dimidio æſtimabatur Piſcium verò tantum tribus nummis Anglicis emeris, ut decem viris in prandium ſufficiant. Inprimis Delphines, marini piſces, praſimi, mulli, aliique varii generis hoc in loco commendantur.

Incolæ civitatis Arabes ſunt,Turcarum imperio ſubjecti : Si quis Arabum contra leges peccet,acerrimè coram judicio punitur,& plerumque ad remos condemnatur, quòd alia ratione in officio haud facilè contineri poſſent.

In hac civitate à 13. Julii uſque ad 18.manſimus,quo deperditis duabus anchoris,cœptum iter continuavimus. Circa 5. Auguſti diem ex adverſo civitatis *Sajos*, quæ Regis aula eſt,anchoras ejecimus.

Unus ex noſtris mercatoribus in terram progreſſus munus Regi obtulit, ſimulque copiam ſibi dari petiit, recentem aquam, capras aliumque neceſſarium pro navi noſtra commeatum comparandi.Verùm Rex,mulierum pavorem nimium prętendens,hoc ipſi denegavit,interim ad civitatem *Roadam*,quæ 5.milliaribus inde diſtaret,nos ablegavit;ubi pro ratione loci neceſſariam annonam eſſemus reperturi.Quo delati,de recenti aqua,capris,aloë,Saccotrina,ſanguine draconis,aliiſque rebus precioſis nobis proſpeximus.

CAP. IX.



SUBSTITIMUS hoc in loco à 5.uſque ad 18.Auguſti diem,quo vela *Cambajam* verſus dirigentes, 28. die *Moam* tenuimus. Hîc unus ex ſociis monuit,ducem precio, quod 20. Taleros non excederet, comparandum, qui per anfractuoſas Syrtes, ac periculoſa brevia Suratum usque nos comitaretur. Verùm patronus navis, qua erat imprudentia, ſalutare hoc conſilium neglexit.

Itaque cum 29.die iter ingrederemur,ſpe ducti bona, optimo tramite nos proceſſuros:continuò à decem ad 7.6. imo etiam 5. orgyias aberravimus navi fundo periculosè admodum bis impactâ.

Secundò enim impetu navis clavus diſruptus in undis periit:cumque excuſſis anchoris biduum ibi hæſiſſemus,navis fruſtillatim dilabi cœpit: itaque cùm præter oblongam ſcapham,nulla alia ſupereſſet navis, in quam confugeremus: hac ipsâ ex majori nave tormenta majora in Celocem tranſtulimus. Faber verò nauticus omni diligentia navim revinciens atque reſarciens, tantum ſuâ induſtriâ perfecit,ut in extremo hoc periculo,quo perditum ituros nos omnino exiſtimabamus ſedecim homines,unà cum navi,incolumes ad littus pertingerent. *Naufragium.*

Die 2. Septembris,veſperi horam circiter ſextam navis iterum fundo alliſa, tantum aquarum imbibit, ut quatuor integras horas iis exhauriendis fruſtra impen-



pendentes, in ſcapham demum, aquarum ingraveſcente impetu, compelleremur: Mercatores noſtri 10000. argenti libras inter majorem & minorem navis malum repoſitas habebant, ex his Generalis unicuique noſtrum liberam fecit poteſtatem auſportandi, quantum commodè ſe ablaturum conſideret, etiamſi ad 3000. libras ſumma aſſurgeret.

Itaque hic 100. ille 40. alius 50. quidam plures, quidam pauciores auferentes libras deſerta navi, omnique cibi potusq; neglecto commeatu, velum ſub horam circiter duodecimam erexerunt, ſperantes, in terram, quæ Orientem verſus 20. milliaribus remota erat, ſeſe hac ratione evaſuros. Sic noctem iſtam, diemque inſequentem ad horam uſque 6. veſpertinam abſque ulla corporis refectione tranſegimus, donec 3. Septembris die parvam quandam inſulam, brevibus quaſi circundatam proſpiceremus.

Interea, ingruentibus pluviis, ſcapha noſtra, quæ 55. homines vehebat, circa medium rupta diſſiliit: nihilominus Deo viſum, ut erecta iterum malo, ſuperatisq; brevibus iſtis, in portum Gandevenſem, incolumes eniteremur. Loci incolæ, cùm tantum virorum agmen duabus ſcaphis advehi cernerent, impulſis tympanis ad arma conclamarunt. Luſitanos nos eſſe rati, qui urbes ipſorum expugnaturi, iſtoc in loco appelleremus. Quòd animadvertentes noſtri, Guſſaratam quendam, qui caſu aliquo nobis adhæſerat, ad littus miſimus, qui incolas de noſtro infortunio edoceret. Cùm igitur Anglos nos eſſe, ac naufragium paſſos intelligerent, viam, quę in civitatem *Gandevam* duceret, nobis commonſtrarunt. Cujus Pręfectus, audito noſtro infortunio, nonnihil miſeria noſtra affici viſus, admodum benignè atq; humaniter nos excepit. Atque is maritimi noſtri itineris finis fuit. *Scapha rumpitur.*

CAP. X.

QUARTA Septembris die, Anni 1609. *Gandevam* pervenimus. In hac civitate portus eſt ampliſſimus, qui complures naves quadraginta aut quinquaginta onerum capaces continet. Loco ſita eſt fertiliſſimo, atque ab Ethnicis Præfectis gubernatur. *Gandeva civitas.*

Die 25. Septembris *Surratum* verſus inſtituto itinere *Sabajam* venimus, qua in civitate multæ netrices ac textores reperiuntur; qui *Calico*, ſeu linteamina Indica magnâ copiâ conficiunt. *Sabaja civitas.*


Hinc *Surratum* petiimus, ubi *Wilhelmum Finckium* Mercatorem anglum, *M. Johnſoni in Chrapſide* curatorem offendimus, qui noſtro nomine Præfectum accedens illi miſeriam noſtram expoſuit. *Surratum.*

Verùm is muneribus jam anteà corruptus, ut poſteà patuit, calumniis, quæ de nobis ſpargebantur, fidem habuit, ac ſi homines eſſemus rebelles ac ſeditioſi, qui id unicè molirentur, ut tumultu quodam excitato urbem ſuam facerent. Itaq; triduum in Cœnobium quoddam detruſi, poſt in Ethnicam domum deducti ſub accurata cuſtodia manſimus, donec tandem interceſſione atque opera Wilhelmi Finckii rhedas, equos aliasque res ad iter neceſſarias obtinuimus: quibus inſtructi ad Magnum Mogolem, ut in illius quoque ſinum miſerias noſtras effunderemus, perreximus.

Surratum pervetuſta ac celebris eſt civitas, muro cincta lapideo, ac fortiſſimorum militum præſidio munita: emporio maximè nobilis, ubi ſæpè 500. onerum naves conſpiciuntur, quæ quia ob periculoſas ſyrtes propiùs urbem ſuccedere metuunt, per alias minores allevari, atque exonerari ſolent.

Die 23 Septembris *Surrato Agram* verſus diſſeſſimus. Noſtrum erant, unà cum *Agra.*

am-



Generali, 52 qui 21. rhedis, propriis partim, partim conductitiis, ac 19. equis versus
Brãportus. amplissimam urbem, *Bramportum* vehebamur: priores duas noctes sub dio in campis consumpsimus.

Navvbona. Vigesima sexta die *Nawbonam* pervenimus, ubi saccharum ingenti copia provenit, ut & xylinum omnisque generis frumentum, oryza, triticum, fabæ, pisa, Cheecoës, Lanteechoës, Motru &c. Terra usqueadeò fertilis est, ut quis duas lactis mensuras dimidio nummo anglico, gallinam sesquinummo, 16. ova unico nummo Anglico possit redimere.

A *Gandeva Sabajam* usque numerantur *Cursus* 12. à *Sabaja Surratum* usque totidem. Duo autem *Cursus* tribus Anglicis milliaribus respondent.

Die 27. duodecim emensi cursus ad quandam Bannianorum civitatem,
Daytaotote. *Daytaototen* pervenimus. Hic *M. Revetus*, unus ex mercatoribus nostris diem suum obiit. Civitas ista, cum per Magnum Mogolem vi expugnari non posset, certis conditionibus cum ipso transegit, ita ut titulum ejus *Bannianorum* Rex semper retineat. Biduum in ea morati omnis generis aromata, præstantissimam *Pentathoen* ac *Callicoleinen* vidimus.

Calendis Octobris, confectis duodecim Cursibus, sub dio pernoctandum fuit.

Postridie quatuordecim cursuum peracto itinere, ad aliam quandam Ban-
Notherberrium. nianorum civitatem, *Notherberrium*, pertigimus. Magnus in hac urbe est mercatus, ubi omnis generis ex orichalco confecta supellex magnâ copiâ distrahitur, utpote ollæ, cacabi, candelabra, sartagines, item ferrei thoraces, gladii, scuta, hastæ, equi contra telorum jactus muniti, Cameli, ac diversi sexus animantia alia. Tela quoque xilina, *Pentathoës Callicoleine*, pepla pro tiaris seu pileis Turcicis velandis, item Limones, Potathoës, cujus tria pondo unico nummo veneunt, aliaque id genus aromata ibidem reperiuntur. Panni certè Anglici, magno cum lucro hîc divenderentur, cum levidensa in summo sit precio. Auro insuper atque argento abundant incolæ, qui humaniter admodum atque amicabiliter cum peregrinis noruntagere.

Tertia die, decem absolutis cursibus, ad parvam quandam civitatem, loco
Sayloto. culto sitam, *Saylotem* nempe pervenimus, ubi etiam Saccharum, aliæque fruges quam uberrimè succrescunt.

Saddisea. Postridie per 18. cursus *Saddiseam* attigimus: in qua civitate præsidium militum alitur: Hanc Tyndea fluvius, omnis generis piscium feracissimus alluit, qui *Surratum* usque profluens, Bannianorum & Gussaratarum regionem disterminat.

CAP.

CAP. XI.

BANNIANORUM gens longè fortissima est. Hi Deum mirabili ritu colunt, videlicet idolis lapideis, quorum capitibus balneares fascias suspendunt, postea conversis ad Solem capitibus, hunc venerantur, hunc adorant, huic omnium suarum fortunarum incolumitatem acceptam referunt. Atqui majorem hâc idolomaniam perpetrant. Vaccam enim auro gemmisque decoratam, atque in capite corollis floribusque venustissimis exornatam, ad sepulturæ suæ locum deducunt, pòst concione habita, illi pedes ungulasque deosculati summos honores deferunt: quam superstitionem non sine tædio intueri potui. Caussam, cur id facerent, rogati responderunt; Hanc matrem esse omnium reliquorum animantium, quæ lac, butyrum, caseum, juvencos, quibus arva colerent, demum pelles, ex quibus calceos conficerent, tanquam ex largo sinu ipsis suppeditaret. Adhæc sine pudore asserebant; hanc à matre Deûm consecratam, quæ summo præ cæteris animantibus honore coleretur. Nos Bannianis relictis, trajecto amne *Tyndea*, in Gentilium regionem descendimus. Ubi tanto agmine, partim cisiis, partim equis vecti, prope Saddiseam venimus: incolæ nos hostili civitatis occupandæ animo isthuc viam affectare arbitrati, clausis undique portis, tormenta sua in nos direxerunt. Verùm Generalis interpretem statim ad eos misit, qui de instituto nostro itinere ipsos edoceret. Itaque Præfectus ipse portas aperiens magna ac solemni pompa, quàm amicissimè nos excepit. Quia verò nox jam ingruebat, juxta ripam fluvii castrametati sumus: postridie urbem ingressi, noctem insequentem ibidem permansimus. Orto verò sole denuò in viam nos dedimus, ac confectis duodecim Cursibus in Cœnobio quodam pernoctavimus.

Bannianorum idololatria.


Septima Octobris ad magnam civitatem Bramportum, ubi magni Chami Chanawæ sedes est, præsidio militari probè munita, perreximus. Hoc in loco à bellicis muneribus vacuus animum oblectare, ac genio plerumque indulgere solet. Reversus is est ex militia, vigesimo primo Octobris, adductis secum 1500. Elephantis, 30000. Equis, 10000. Camelis, & 3000. Dromedariis.

Bramportus.

Chami exercitus bellicus.

Regio hęc versus Septentrionalem Occidentis plagam sub altitudine 20. circiter graduum porrigitur: Musquettæ, bombardæ, pistolæ, petronellæ, gladii magno hîc sunt in precio, sclopi verò igniarii nihil valent. Magna quoque panni ibidem est caritas. Trita enim penula, vix 20. solidis æstimanda, 3. Sterlingiorum libris censebatur.

Cùm à septimo Octobris, usque ad undecimum Novembris in hac civitate substitissemus, ego una cùm *Johanne Furchmanno* uno ex mercatoribus nostris ad Capitaneum me contuli, quò salvi conductus literas, liberè ad Magnum Mogolem proficiscendi ab ipso impetrarem. Is statim nos interrogavit: annon animus nobis esset bellica stipendia facere, quæ, siquidem operam nostram sibi condiceremus, quàm amplissima nobis largiturus esset. At regessimus; Miseros nos esse mercatores, qui variam fortunam exper-



ti, naufragium tandem essemus passi. Tum Capitaneus, Nullos ibi, inquit, mercatores sive Anglos, sive alios reperiri, se militem esse, ac bellicis labiribus assuetum.

Cùm in patria uxores & liberos nobis superesse diceremus, qui reditum nostrum summis desideriis exoptarent: Rectè nos facere, respondit: ac lege sua prohiberi, ut quis invitus detineatur. Porrò contanti: annon uniones aut gemmas quasdam Gynæcéo gratas penes nos haberemus: ego cleinodium quoddam 40. Sterlingiorum libris vendidi. Denique Secretario suo, ut salvi conductus literas conficeret, mandavit, quas postea sigillo suo majori firmatas nobis porrexit, ut tutò iter nostrum *Agram* versus prosequi possemus.

CAP. XII.

De Elephantis.


CUM antea Elephantorum facta sit mentio, paucula quædam de iis, quæ ipsemet vidi atque expertus sum, hoc loco referam.

Elephanti in præliis campestribus potissimus est usus. Turriculam enim ligneam, quatuor æneis tormentis instructam tergo ejus superstruunt; in hac decem viri sagittis arcubusq; armati, qui tormenta istæc displodant, collocantur. Unde, quantæ hujus belluæ sint vires, facile est colligere. Vidi aliquando regium adduci Elephantum, huic tormentum 21. pedes longum, quod globum septem pollices altum projiciebat, carro impositum ex latere montis in altum proponebatur protrahendum: Quod cùm Elephas paulò segniùs exequeretur, neq; Magistro suo satisfaceret, is ignaviam illi exprobrans, vix pabulum eum promereri dixit. Cùm verò ea Elephantorum sit natura, ut non patiantur ulla in re sibi contradici, sed superbè admodum de se sentiant; Elephas quoque iste ad convicia Magistri retrò nitens, carrum frustillatim discerpsit, ac tormentum humi afflixit. Postea cum Fabrorum operâ novo extructo carro tormentum esset impositum, idem adductus Elephas, proboscide rotas arripiens, tormentum in locum â Magistro destinatum, nullo negocio pertulit.

Elephantorum cutis tanta est duritie, ut Musquettæ ictu penetrari nequeat, capite atque alvo tantummodò exceptis. Animal est admodum ingeniosum, quod verbis solummodò regitur, quippe quod ex mandatis mentem magistri sui probè intelligit.

Civitas Bramportus, est Londino longè major, in qua omnis generis vigent commercia. Certè una ex celeberrimis, quas quidem ego viderim, Tartarorum est civitatibus. Cives habet benignos atque affabiles, multos adit patritios, fluviis fossisque limpidissimis est irrigua: hortos ac viridaria passim cernas amœnissima, ubi deambulando tempus fallere jucundissimum est. Prospectum certè augustiorem nusquam vidi. Hîc unicuique feras sectari, volucresque telis configere liberum est. Si cui grave pedibus iter facere, is equum Talero qui 4. solidis æstimatur, sibi poterit comparare, quo deinceps pro libero arbitrio utatur. Existimo etiam hac in civitate, cum multi in ea degant nobiles ac patritii, vestes nostras auro argentoque contextas, holosericas, subsericas, pannos laneos,

latiores,



latiores , rariores , communes commodè non ſine uberrimo quæſtu divendi poſſe.


Novembris 11.die,Ego,Johannes Salebanckus,& Johannes Furchmannus, comitem ſeu viæ ducem nacti unum ex incolis, iter noſtrum Agram verſus direximus,ſalutato priùs Capitaneo,qui febri vehementiſſima correptus exiguam ſpem fovebat,brevi ſe priſtinis viribus reſtitutum iri. Conſtitueramus unà cùm *Caravana*, ſeu mercatorum cœtu,qui ex 150.Camelis conſtabat, iter ingredi: Verùm Capitaneus nos monuit, Caravanæ iſtius adventum, ſeptem adhuc dies nobis expectandum fore;itaque potiùs nos facturos,ſi bidui itinere,quod abſque ullo periculo ac prædonum metu peragi poſſet,ad aliam quandam civitatem pergeremus, ubi Caravanam copioſiorem,& commeatum tutiorem eſſemus habituri.

Quare die 12.ad civitatem *Caddoram*, 15. curſibus à Bramporto diſſitam pervenimus,ubi noctem iſtam tranſegimus. Præfectus loci,cùm peregrinos ac Chriſtianos nos eſſe intelligeret, ſtatim interrogavit, quid acturi, quò iter inſtituiſſemus. Nos *Surrato* venire, *Agram* verſus ad Regem tendere diximus. Ille verò acriùs inſtitit,ac; Quidnam apud Regem eſſemus acturi ſciſcitatus eſt: Tum ego miratus hominis importunitatem,qui ad amuſſim omnia contaretur,duriuſculè reſpondi: Negocium noſtrum nimis eſſe arduum,neque ipſi revelandum. Cùm nihilominùs priuſquam urbe exiremus, ſe id ſcire velle,oſtenderet: Me vel invito ipſo urbe exiturum reſpondi. Itaque ad iter nos paravimus,viſuri,num quis abſq; legitima nos eſſet detenturus. Præfectus id animadvertens, *Cottwalem* ſeu Conſulem civitatis ad nos miſit,interrogatum;Cur tanta verborum aſperitate Præfecto eſſemus obloquuti? Cui reſpondimus:Non duriùs nos eſſe locutos,quàm interrogata ejus flagitare:Præfecti haudquaquam eſſe,de negociis coram rege conficiendis ſciſcitari, aut nos ad ea detegenda velle adigere:ſimulque ſalvi conductus literas Cami Canoës ſigillo munitas ipſi commonſtravimus. Tum Præfectus cum viginti primoribus Civitatis ad nos veniens,peramicè nos rogavit, noctem iſtam ibidem permaneremus,omnem benevolentiam pro conditione loci nobis offerens, ſimulq; periculoſum admodum iter nos ingreſſos innuens. Itaque noctem iſtam in hac civitate ſubſtitimus.

Caddora.

Poſtridie Tabacci, quod nobiſcum ex Anglia tuleramus, ſelibram Præfecto donavimus,quod munus ille grato animo à nobis accepit.

Die 13. *Savvbonam*, quæ 14. curſibus à *Caddora* diſtat, pervenimus: Peracto vix dimidio curſu, Præfectus 12. equites, arcubus & ſagittis probè inſtructos nobis ſubmiſit, qui aliquam viæ partem, ad 12. circiter leucas Anglicas, ubi maximus periculi metus, nos deducerent. Savvbonæ Caravanam 500. Camelorum, qui ſerico ſimplici, variegato, pannis omnis generis, ſaccharo, aliiſque mercibus onuſti ex Bramportu, Bengala, Cambaja Agram verſus contendebant, invenimus.



CAP. XIII.

DIE decima quarta, cum Caravanâ iter ingressi, emensis duodecim Cursibus, ad cœnobium quoddam, cui *Tindeyæ* nomen, divertimus.

Die 15. decem Cursus peragravimus, pernoctem in sylva quadam commorati.

Postridie magnam Civitatem *Cannowam* ingressi sumus: Commercia in hac urbe ex panno, gladiis, musquettis, thoracibus ferreis, à sagittarum trajectione immunibus, sunt frequentissima. Magnus quoque eorum fructuum, quibus tinctores utuntur, hoc in loco est proventus. Atque existimo pannos nostros Anglicos haud incommodè hîc distrahi posse. Cœlum, cùm regio ad Septentrionem vergat, mensibus Januario, Februario, Martio, aliquanto est frigidius.

Decima sexta die, 14. Cursus progressi, ad ingentem quendam fluvium *Anderam* dictum devenimus. Fluvius hic amplitudine & latitudine Thamesin prope Wallwichiam exæquans, Bengalam usque, ubi ultimus Gentilium limes est, excurrit. Nos trajecto fluvio Gentilium finibus excessimus.

Gentilium mores. Gentiles summum Deum, Solem agnoscunt. Nihil sanguineum comedunt: existimarent enim, se eâdem operâ patrum, matrum, fratrum, sororum, aliorumque agnatorum fato defunctorum, animas comedisse.

Credunt enim, Homine demortuo, animam ejus in aliam quandam bestiam aut hominem commigrare. Itaque nisi bestiarum esu abstinerent, fieri posse, ut unà cum bestiarum carne, quis suorum agnatorum animam devoraret. Ex una quaque re vitali spiritu prædita Deos sibi effingunt: quicquid manè primo illis obvium fuerit, id per totum istum diem pro Deo, sanctoque venerantur.

Nos omissis Gentilibus, ad Bulloitas, seu Pythagoricos transiimus: ac 17. quidem die *Gorram* tenuimus, ubi *Surroyes* seu diversoria multa extructa sunt, in quibus cameli, equi, aliæque pecudes absque ullo hospitum sumptu gratis aluntur. *Gorra.*


In eadem hac civitate, quatuor diversa Gymnasia, tanquam in Academia publica, sunt constituta. De eadem urbe, quæ ambitu 8. milliaria continet, duo Regis filii diu quàm atrocissimè inter se pugnarunt, donec tandem penes *Ostlohmi* Regem *Theilem* victoria fuit, qui cùm eâ septennium potitus esset, magnus *Mogol Tamberlanes* Sextus totam illam regionem expugnavit, suoque imperio adjecit.

Decimo octavo die decem confectis cursibus ad magnum quoddam stagnum instar balnei, cujus aqua calidissima, ex terra promanat, pernoctavimus.

Sandaya. Die 19. quindecim Cursuum itinere *Sandayam* pertigimus: Magna hoc in loco lanæ, Hispanicæ non absimilis reperitur copia, ex qua vittæ Turcicis pileis obnubendis, ac Chlamides maximi minimique precii conficiuntur. Infinitos ovium alunt greges. Saccharum tantâ copiâ hoc in loco provenit, ut quemadmodum nos fœnum arefactum, sic illi saccharum equis in pabulum projiciant. Distincta quoque tam pro equitibus, quàm peditibus habent diversoria.

Vigesimo die itidem ad 15. cursus progressi, in magno quodam diversorio, cui Cœnobium adjacebat, pernoctavimus. Hîc magnam Copiam fructuum, quos *Mangee* vocant, nobis obtulerunt. Fructus est pomo non absimilis, nisi quod nucleum duro tectum cortice habeat, ejusdem cum Cerasis vinosis est saporis, qui, quod alvi profluvium commodè sistat, magno in precio habetur.

Vi-



Vigesimo primo die post duodecim cursuum iter, parvum quendam pagum subiimus.

Postridie sedecim cursus emensi civitatem Erasmiam attigimus. Hîc totius regionis incolæ, tanquam ad commune quoddam emporium confluunt, lanam, xylinum, gladios, lanceas, aliaque ad bellum necessaria arma sibi comparaturi. *Erasmia civitas.*

Vigesimo tertio die consummatis quatuordecim Cursibus, ad parvam quandam Civitatem *Zingreenam* delati sumus, ubi magna avenæ, atque herbæ tinctoriæ reperitur copia.

Die 24. sedecim emensi cursus, ad magnam civitatem *Barrandon* venimus, ubi quàm plurimi *Bannianorum*, ac *Mesulipatanianorum* mercatores, & Caravanę majores conveniunt. Frequens hîc est mercatus ex panno, equorum virorumque armis, loricis, thoracibus ferreis à telorum trajectione tutis, xylinis pileis atque Elephantorum dentibus. Magnus quoque indomitorum Elephantorum in regione oberrat numerus. Hîc dimissa Caravanâ aliquandiu substitimus. *Barrandon.*

Vigesima septima Novembris die denuo iter ingressi, obvium habuimus *Camum* quendam seu regionis istius equitem, 40. equis 50. sagittariis stipatum, qui itidem Agram versus contendebat. Huic comites nos adjunximus; sicque unà iter facientium numerus ad 140. excrevit. Sex diebus continuis per densissimas sylvas, quæ ultra 100. cursus protrahuntur, progredientes, omnis generis feras, Elephantos, Leones, Tigres, Cercopithecos, *Porpentinas*, aliasque observavimus. Noctu in circuitu Castrorum luculentum excitavimus ignem ad ferarum præcavendos incursus, ac depellendos impetus. Eques iste de natura atque indole Elephantorum referebat, eos, si animadvertant sibi ob dentes exitium imminere, sua sponte insertos robustissimæ arbori dentes confringere, sicq; ab omni periculo immunes liberè sylvas pervagari.

CAP. XIV.

TERTIA Decembris die ex sylvis feliciter eluctati civitatem *Tranado* vidimus: quemadmodum 4. die sedecim confectis cursibus, *Zajoberdeam* tenuimus: ubi fœnum ac frumentum magnâ copiâ reperitur.

Quinta die, 18. peragratis Cursibus, *Haudeam* venimus: In hac civitate cernitur regis castellum, solido saxo incisum, eoque inexpugnabile, quod 50. tormentis majoribus erat instructum. Ducenti ferè equites, duces, aliique primariæ notæ milites, quòd proditionibus, seditionibus aliisque facinoribus regis edicta violarant, captivi in hoc castello detinebantur. Duæ ibidem amplissimæ conspiciuntur ædes, Johannitarum nosocomiis non absimiles, in quibus capitanei atque equites assiduis bellis fracti aut mutilati regiis sumptibus aluntur. Unicuique in dies una *Mammothee*, quæ 9. nummis Anglicis æquivalet, persolvitur, cibus verò ac potus ex regio penu depromitur.

Sexta die attigimus fluvium *Tamlno*, qui in Indum se exonerans Pythagoreorum atque Indestanorum regionem disterminat.

Pythagoræi olim fuere gens infamis ac proditoria, apud quos lege cautum, ut marito defuncto, uxor viva cremaretur, quam in hodiernum usque diem quàm exactissimè observant: si qua ab hac lege liberari cupiat, hæc resecto ad cutim capillo, *Uxores post mariti obitum exuruntur.*

 pillo,


pillo,atrata incedere cogitur,cœterùm usqueadeò infamis habetur,ut in mortis periculo constitutæ ne vilissimum quidem mancipium opem ferat.

Occasionem huic legi ferendæ mulierum præbuit inconstantia, quæ levi de causa maritis succensentes, aut eorum consuetudinis pertæsæ, veneno eos è medio tollere non erubescebant. Itaq; ut uxores teneriùs maritos amarent, colerent, neque eorum mortem exoptarent, lex lata est, quæ uxores post mariti obitum flammis exuri jussit.

Exemplum ejus rei in Doctoris cujusdam fœmina, eaque juvencula, observavi. Hæc linteo subtilissimo amicta, ac caput præstantissimis gemmis exornata curru triumphali insidens, à quatuor viris ad locum executionis se curavit deportandam: præcedebat musicorum, tympanis, tibiis, tubisq; canentium Chorus: utrinque proximè agnati comitabantur. Ut ad sepulturæ locum deventum, palus quidam terræ infigitur, ac fovea in conspectu ejus excavatur. Interea verò, dum palo alligatur, proximè agnati in genua procumbentes, Solis aliorúmq; divorum implorant opem. Utrique ejus axillæ, ut & pudendis nitrati pulveris subdebatur sacculus, atque ita succenso igni viva concremata est. Ignis verò iste ex preciosissimis lignis, Benjamine, Storace, paradisi arbore, aliaque fragrantissima materia excitari solet. Sed de his satis. Nos sequenti die, decem cursuum itinere, Addaram versus contendimus.

CAP. XV.

Agra Magni Mogolis Metropolis.



OCTAVO decembris, 26. emensi cursus tandem ad totius regionis metropolin, Agram, quæ Magni Mogolis sedes atque aula est, pervenimus.

Nono die Capitaneus Haukinus ad nos venit, nosque pro more regionis ad Regem deduxit: Peregrinis enim ultra 24. horas nisi Regi se sistant, ac quinam sint, quid acturi eò venerint, indicent, commorari non licet.

Nec cuiquam absque muneribus, quantulis illis, in conspectum ejus prodire fas est. Ego tum temporis exilem fistulam, ex auri uncia conflatam, ac pyropo radiantem Regi obtuli, quâ horam circiter canendo suaviter se oblectavit! Item effigiem Capitis S. Johannis Ambræ incisam, auroque inductam, quam hilari fronte suscepit.

Fistulam primariæ conjugi, effigiem verò *Suldano Cavvonæ* filio natu minimo tradidit.

Natu maximum ob motam rebellionem in vinculis detinet, quem oculis etiam orbatum vulgò ferunt: quidam tamen ex primoribus, oculos ejus duntaxat clausos ac sigillo obsignatos mihi retulit. Nomen illi est, *Pabeschaw Schelbam*, quod proximum regni hæredem denotat. Secundum filium, *Suldanum Navvbream*, regni hæredem animo jam destinavit.

Tertius filius, *Suldanus Lawle, Lihorniam* gubernat: Quartus *Suldanus Lill*, Gentiles moderatur. Atque hi quinque Regis filii sunt.

Præterea decem habet Proreges, qui diversis nationibus cum imperio præsunt. *Can Canawe Gussaratis* dominatur. *Can Johannes Bulloitis* imperat: *Can Michael Hendavvnos* regit. *Savvdes Can in* urbe *Candabara Puttanorum* Præfectum agit. *Allee Can, Bulloichios* in civitate *Buckero* gubernat. *Savvder Can Muttanis* præest, denique *Can Bullarch Indestanis* dominatur, qui cum Regiis filiis decem proreges conficiunt: omnes quidem sunt Gentiles, sed rei politicæ ac militaris peritissimi. Adhæc



hæc magnum nobilium alit numerum, inter quos primas tenet *Comes Nawbol*, ut & alius quidam Theaire. Hi Regem in publicum prodeuntem perpetuò comitantur. Privatas in aula operas Eunuchi expediunt.

Supremus Judicii Regii Præses, Awlee Navvbob vocatur, qui itidem Eunuchus est, formidandis opibus, ut qui 20. Elephantos, 150. Camelos ac Dromedarios ac 500. equos ad servitia paratos instructosque habeat. *Mogolis Iusticiarius.*

CAP. XVI.

THESAURARIUS ejus *Suldanus Carawdon* longè potentior, majori pompâ utitur: alit enim 40. Elephantos, 200. Camelos ac Dromedarios, 1000. equos. Quotiescunque jus dicturus in publicum prodit, aurea argenteáve talari indutus Elephanto insidet, interdum etiam à quatuor mancipiis in lectica quasi in cunabulis magnâ pompâ ac solemnitate deportatur, ac quatuor illi argentea sceptra, decem vexilla præferuntur. Tantùm honoris huic ab incolis defertur, ac si rex ipse esset. Diebus Martis ac Jovis, Rex ipse jus dicit, ac litigantium causas audit: vectigal etiam à peregrinis pro libero arbitrio, summa tamen æquitate exigit. Sæpe enim decem duntaxat solidos ex mercibus 200. libris æstimatis reposcit. Si Mercator longinquis regionibus China, Bengala, aliis eò veniens, vereatur, ne cum detrimento suo merces distrahantur; Regi solummodò id significat, qui si merces istæ Regibus, principibus aut nobilibus conveniant, bonam illarum ipse redimit partem, reliquas tali precio nobilibus suis emendas offert, ne ob damnum, solum vertere ac foro cedere Mercator cogatur, sed aliquid etiam ex iis divenditis lucrari possit. *Thesaurarii pompa.*

Mogol ipse aulam habet augustissimam, regio ac ducali fastu, omnisque generis deliciis admirabilem. *Mogolis aula ac pompa.*

Quotidie in conspectum ejus 50. Elephanti regii, auro argentoque vestiti, cum tubarum cantu ad certamen acerrimum adducuntur: quo fit, ut mutuis, iisq; lethalibus interdum sese conficiant vulneribus, tantoque odio ac fervore depugnent, ut nulla alia ratione, quàm objectis in faciem igni erratico ardentibus fusis divelli possint.

Quidam etiam cum equis silvestribus pugnant. Sæpe unus elephas cum sex equis committitur: Atque ipse adeò interfui, cum unus elephas duos equos primo impetu protinus prosterneret: injecta enim jugulis ipsorum longa proboscide ad se protractos dentibus porrò comminuit ac protrivit. *Elephantorum pugna.*

Vidi ibidem cicuratos Elephantos, qui Proregis filium, ex nobilibus Regis pueris unum, proboscide arreptum, ac si jamjam eum voraturi essent, molliter tamen in caput elevarent, atque ubi aliquandiu tergo insedisset, repente eundem in pedes statuerent, absque ullo damno, haud aliter quam matres infantes tenellos humi solent deponere.

Elephas fœmellam suam conspicatus, à nullo deinceps se regi patitur. Quilibet plerumque tres aut quatuor ducit fœmellas, ac duodecim catulos. Commixtio illorum peregrina ac mirabilis est: fœmella enim humi in tergum procumbit, cum qua mas superveniens congreditur. Tanta sunt verecundia, ut si à quopiam se veneri operam dare conspectos intelligant, hunc summa ope interficere conentur.

Ejusmodi oblectamenta ac certamina ludicra etiam ex aliis feris coram Rege indies exhibentur, ut puta, capris, *Vervatoes* seu *Brazoris*, leonibus, leopardis, lu- *Aliarum ferarum certamina.*

pis.



pis. Si quis etiam ex Equestri ordine ob delicta ad mortem condemnetur, huic ex more gentis liberum est, ad duellum cum Leone subeundum provocare, quod nemini Rex denegat.

Ejus rei exemplum ipsemet vidi. Nobilis quidam primo congressu, Leoni plagam tanta vi manu inflixit, ut humi prosterneretur: verùm Leo, collectis viribus, summo cum impetu hominem adortus, eum, arreptis unà cum corde ac jocinore intestinis, miserè postmodo concerpsit ac dilaceravit.

Crocodilorum cum Equis pugna. Reperiuntur ibidem Equi prælio cum Crocodilis concertantes. Vidi ego uno tempore duos caballos à Crocodilo interfectos. Crocodili isti in fluvio *Indawe* vivunt: hic in Mesopotamiam excurrens, cymbas, 40. onerum capaces vehit, pisciumque omnis generis refertissimus est.

CAP. XVII.


Cibi paratu faciles. SINGULIS diebus, totâ septimanâ quatuor mercatus celebramur, quibus omnis generis merces æquo ac tolerabili precio emuntur ac venduntur: utpote, gallina Indica 6. nummis, caprea viva talero, ovis duobus solidis, capra totidem, par boum 4. taleris, qui faciunt 16. solidos Starlingios, porcus saginatus 2. item solidis: Bestias hasce soli Christiani emunt aluntque, ac Banniani vendunt. Tantùm piscium tribus nummis emitur, ut quinq; hominibus in prandium sufficiant.

Magna quoque omnis generis fructuum, limonum, malorum aureorum, cerasorum acidorum, uvarum, pyrorum, pomorum, prunorum, ibidem cernitur copia. Ex uvis vinum non exprimunt, cum illud lege ipsis sit prohibitum: Cæterùm uvæ passæ magnitudine ac pulchritudine sua pruna damascena exæquant.

Auratæ, holosericæ, sericæ vestes magno numero ex Persia & China advehuntur, quæ tamen bonitate & precio nostris cedunt: præsertim nostrates panni, qui lucidi sunt coloris, illorum longè superant, cùm eorum panni ex simplici ac crasso filo *Esmeriæ*, quæ *Lyhoviæ* civitas est, contexantur. Primas ex his rubro panno, qui venetum ruborem æmulatur, tribuo, quo plerumque equestris ordinis viri amiciri solent.

Vocabulum *Mogol* ipsorum linguâ, magnum ac sapientem Regem denotat: est enim vir prudentissimus, ex antiqua Tartarorum prosapia, multorum regnorum dominus. In titulo hæc usurpat nomina; *Pateschaw*, *Shelham*, *Schog*; omnis majoris monetæ supremus dominus. Alia enim moneta cuditur *Laboriæ*, alia *Bramporti*, alia *Surrati*, in *Cambaja*, *Sabbortoni*, atque *Augrui*. Ad hæc variis regnis ac nationibus imperat, *Gussaratis*, *Bannianis*, *Bulloitis*, *Callicodensibus*, *Bengolensibus*, qui omnes sunt gentiles: item *Indestanis*, *Mogollesiis*, *Gendomiis*, *Moltanis*, *Puttanis* *Bollochiis*, *Alkeisoris*, aliis. Nonum sese à *Tamberlaine* appellat regem. Quamvis verò magnificis hisce titulis, immensæ quoque vires ac divitiæ respondeant; nullam tamen gentem, ad fidem ac religionem suam abnegandam adigit: Imo quo constantiùs ac pertinaciùs quis in religione sua perseverat, hoc majori in honore apud regem habetur.

Christiani magni fiunt apud Mogolem. Præ cæteris sectis magni Christianos facit, quibus duplo majora, quam cæteris nationibus, privilegia indulsit: adhæc perpetuis stipendiis duos Monachos alit, quibuscum de religione Christiana, ac Christianorum ritibus identidem confert. Eo in loco, ubi preces fundit, aut de rebus ad religionem pertinentibus deliberat, Be-




ratæ Virginis Mariæ imaginem ob oculos poſitam habet, ac dixiſſe fertur: Facilè ſe Chriſtianorum ſacris aſſenſurum, niſi infinito divorum, Deorúmque numero abſterreretur. Cùm eò in loco commorarer, Armenius quidam abnegato Chriſtianiſmo, temporalis lucri cauſa, ad ęthiopicam ſuperſtitionem defecerat, quòd cùm ad Regem percrebuiſſet, dixiſſe fertur: Rectè quidem factum, neque improbam permutationem eſſe, ſiquidem animarum ſalutem hac ratione conſequi ſe poſſe exiſtimaret: ſin minus, compendioſiorem ipſi ad honores obtinendos futurum fuiſſe gradum, ſi in Chriſtiana fide conſtans perſeveraſſet.

Gratus quoque ac munificus eſt admodum: cum enim quidam illi parvum quoddam animal offerret; huic mille *Ruckios*, ſeu 100 Starlingiorum libras donavit. Alii pro cane venatico, tantumdem liberaliter refudit: quemadmodum etiam uni pro duobus Gallis 2000 *Ruckios* donaſſe fertur. Chriſtianus quidam Monachus, ut rem certiſſimam mihi retulit: ſe aliquando ex ipſius Regis ore audiviſſe: Decretum ſibi in monumentum ſeu ſepulturam patris ſui, centum auri myriadas impendere. Novennium jam integrum in monumento iſthoc extruendo deſudatur, quod inſequenti quinquennio vix abſolvetur, quamvis quinquies mille viri ſtrenuè in eo laborent. Materia ex præſtantiſſimo eſt marmore artificioſiſſime in novem angulos elaborata: Locus ambitu ſuo duas leucas Anglicas continet, ac novem continuis contignationibus ſuſpenditur. *Mogolis munificentia.*

Falcones omnis generis, item Phaſiani, perdices, anſeres, mergi, anates ſylveſtres, aliæque volucres magno numero ibidem reperiuntur.

Moloſſos, ſeu Canes Anglicos majores, nullos haberet: niſi ſpurios quoſdam, quorum duo integrum diem unicam feram conſectantur, priuſquam illam poſſint, proſternere: nihilominus magno apud illos ſunt in pretio, qui veſtes illis conficiunt ut mundiciem conſervent, ac frigus omne ab illis depellant. Saltus peculiares, quibus feræ includantur non habent, ſylvis communibus contenti, in quibus unicuique venari liberum, exceptis ſex in circuitu Agræ milliaribus, quem locum ſepimento munitum ſuæ oblectationi ac voluptati Rex deſtinavit. Ajunt hunc Regem, decem alere conjuges, mille Concubinas, ducentos Eunuchos ſeu caſtratos: Tertiæ conjugi majoris ſigilli cuſtodia eſt concredita.

Cùm itaque magnificam, ampliſſimam, opulentiſſimamque hanc urbem, Agram, atque univerſam Regis aulam pro lubitu eſſem contemplatus, demum 18. Januarii unà cùm Joſepho Salebanco, ac Johanne Furchmanno Regem acceſſi, liberum in Angliam diſcedendi commeatum, quàm humillimè petiturus. Rex benevolè nos interrogavit: Numquid operam noſtram in re militari ipſi eſſemus conducturi; alimenta ac ſtipendia ſatis liberaliter nobis ſuppeditatum iri. Cui ſummiſsè de honore habito gratias agentes, nos excuſavimus: Non noſtri nos eſſe juris, ſed aliis obſtrictos, adhæc conjuges ac liberos in patria ſuperſtites reditum noſtrum anxiè exoptare. Itaque legum præſcripto, ac naturæ vinculo ad reditum quàm primùm maturandum aſtringi. Hîs auditis quàm clementiſſimè veniam abeundi nobis indulſit, ac confectis per primarium Secretarium literis, quibus libera per univerſum ipſius regnum commeandi poteſtas fiebat, majus ſigillum, à tertia conjuge repetitum, impreſſit, eaſque ſua manu ſubſcriptas nobis exhiberi juſſit. Poſtmodò ad ſupremum monachum, ſeu primatem totius cleri, virum authoritate ac dignitate in aliis etiam regnis celeberrimum, me contuli, ac literas commendatitias ad vicinos reges ac principes, quorum limites nobis tranſeundi erant, ut & religioſos ac Clericos alios flagitavi, quas benignè mihi conceſſit. Adhæc commendavit me ſuis literis,



Johanni Midnallo Anglico cuidam Factori, qui triennium *Agræ* substiterat: verùm cùm is ante meum in Angliam reditum, Indias Orientales denuo adiisset, litteras illas M. Grenawajo, Indiæ Orientalis mercatorum collegii supremo directori, tradidi.

Die 21. Januarii Capitaneo Haukino extremum vale diximus, illoque in summa apud regem authoritate relicto, discessimus. Diurnum enim stipendium ipsi à rege ordinatum, ultra 100. Ruckios, qui decem Starlingiorum libras faciunt excurrit: Cani quoque seu Equitis aurati titulum gerit, ac cùm præcipuis Nobilibus ipsoque adeò rege quàm familiarissimè versatur. Unde spes affulget haud vulgaris, magno illum patriæ futurum emolumento.

Vigesimo secundo die iter Angliam versus ingressi sumus. Quinque eramus Angli, Ego, *Josephus Salebanckus*, *Richardus Martinus*, *Richardus Foxus*, & *Guilhelmus Aschelerus*, unà cum viæ duce Æthiope quodam. Sic quinque equis, duobus Camelis instructi *Ispaham* Persiæ civitatem versus, itinere per *Bianum* directo contendimus. *Johannes* verò *Midnellus* tutiorem ingressus viam, *Laheram* perrexit, quò quatuor mensium spacio pervenit. Nostrum iter, quia duobus confici poterat mensibus, compendiosius erat, & periculosius.

Agrâ post tergum rejectâ, duodecim Cursibus *Fetterbarrium*, ac totidem confectis *Bianum* pervenimus. Hic locus tota Orientali India, ob *Indici* copiam & præstantiam excellit. Molas *Indico* conterendo idoneas duodecim habet. *Indicum* frutex est exiguus spineto non absimilis, semen ejus Brassicæ semini respondet. Decisum ac in certos manipulos collectum reponitur donec computrescat, tum hominum pedibus conculcatur, mox molis contunditur, tandem in clybano elixatur. Postea probè purgatum in certas series distinguitur. Indici hujus unciæ 20. Biani decem nummis veniunt. Magna ex hoc fructu, ut & *Annæla*, *Agræ* & *Laboræ* instituuntur commercia.

Quomodo Indicum crescat.

Hendovvna.

Die 25. *Hendovvnam*, 25. emensi cursus, venimus. Civitas hæc antiquissima & pulcherrima est, ac vilioris Indici abundantissima.

26. Quatuordecim peractis Cursibus, *Mogolæ*, in vico quodam mercatu nobili, substitimus: ubi itidem vilioris Indici, pannique linei in India præparati reperitur copia.

27. Duodecimo cursu pagum quendam *Halstaram* tenuimus.

28. Totidem Cursibus alium quendam pagum *Chalsoram* attigimus; ubi oves capræque magno numero, viliquе precio reperiuntur.

29. Duodecim progressi Cursus oppidulum quoddam, *Laddanam* vidimus, ubi xylinum abundat.

30. Ad aliud quoddam oppidulum *Mosabadam*, ubi magna frumenti copia, totidem peragratis cursibus, appulimus.

Ultima Jannuarii die duodecim Cursuum peracto itinere *Bandasoni*, in exiguo quodam oppido pernoctavimus.

CAP.



CAP. XIX.

CALENDIS Februarii ad amœnissimum fluvium *Paddarum*, qui *Gussaratas* alluens, *Indestanos* atque *Hendowvnos* disterminat, posteaque in sinum Persicum sese exonerat, delati sumus.

Hinc ad civitatem *Esmeeram*, 12. cursibus *Bandasono* dissitam perreximus. Hac in civitate Mogol ædes habet amplissimas, in quibus 600. Elephanti, ac mille equi regio sumptu ad bellicos usus aluntur. Magna hîc vilioris panni lanei, xylini, lancearum, arcuum, jaculorum, loricarum, gladiorum aliorumque armorum bellicorum reperitur copia, ac singulis septimanis duo habentur mercatus. Indestani alioquin gens istis locis est celeberrima, quæ mercatores suos ad potissimas totius orbis oras ablegat.

Secunda Februarii Hendevvnorum regionem ingressi, duodecim peractis cursibus, Rimalam venimus. Hîc magna volucrium omnis generis cernitur copia, locusque aucupio maximè est idoneus.

Quarta die Méartam, quæ civitas est monumentis Hendovvnorum maximè insignis, 12. cursibus contendimus. Hîc singulis septimanis tres celebrantur mercatus, ac magna Indici, xylini, laneique panni reperitur copia. Magnitudine *Excetram* Angliæ urbem exæquat. *Mearta.*

Sexta, septimaque die 12. cursibus duos pagos *Gursalem ac Lavarrum* peragravimus: ubi magna frumenti, pecoris oviumque in primis copia cernitur, ac vili precio comparari potest.

Octavâ, *Tovvrium*, quæ civitas non ignobilis, Hendovvnorum præsidio munita est, 12. cursibus pervenimus. *Tovvrium.*

A nono usque ad 14. Februarii, 56. emensi cursus, pagos, quosdam, *Chummum, Montium, Puckeram, Senavvram, Basonpeam*, usque ad civitatem *Gissemeeram* transiimus. Civitas hæc amœno loco sita, atque arce firmissima, tormentis majoribus triginta, probè communita est. Sedem in ea eques quidam auratus magni nominis sibi fixit. Commercia quoque in hac civitate sunt frequentissima.

Die 18. quatuordecim ferè cursus, solo arenoso, *Hendovvnis* partim, partim *Multanis* subdito, emensi sumus. *Hendovvni*, licet ex Gentilibus originem trahant, nihilominus omnis generis cibos, carnes piscesque comedunt, fures sunt frequentes atque eximii: nudi orant, vorantque; cibos in circulo quodam præparant, quem, dum coquuntur ac sumuntur cibi, ingredi nefas est. Mulieres à teneris catenulas argenteas, æreas ac ferreas tibiis circundant, auribus verò annulos pro naturæ succremento grandiores inserunt, ut tam ampla in auribus pateant foramina, per quæ quis absque ullo impedimento manum possit trajicere. Armillas quoque à carpo cubito tenus gerunt. *Hendovvni.*

Die 19. 20. 21. triginta duobus confectis cursibus ad puteum quendam ad 60. orgyias profundum, sed aquæ ferè vacuum devenimus.

22. 23 & 24. Februarii trigesimo sexto cursu tres civitates *Roream*, *Buckaram*, & *Succaram* insulæ non absimilem penetravimus. In prima aquam optimam offendimus. Fluvium habet navigabilem, in quo ultra 60. naviculas civium, quibus *Malvidam* ac *Mosembiquam* usque commerciorum gratiâ excurrunt, conspeximus. Fluvius hic tandem etiam in sinum Persicum sese effundit. *Rorea.*

Buckara in meditullio hujus insulæ sita, ab altero latere opere firmissimo est extructa. Indiani fluvium hunc appellant *Domiadar*. In hac civitate *Allee Canus*, qui *Buckara.*



magni Mogolis nomine *Bullochiis* præest, aulam suam habet. Is, quia Bullochii homines sunt per quàm contumaces ac rebelles ingentem militum præsidiariorum numerum in castello álere cogitur, quod admodum ipsi est grave.

Canus iste alioquin Princeps liberalis ac munificus est, qui de annona necessaria abundè nobis prospexit: ac quotidie in arcem ad se invitatos cibo potuq; copioso ac precioso nos refecit. Hîc unum ex comitatu nostro, *Johannem* nempe *Furchmannum* ob morbi vehementiam, ægrum reliquimus.

Succara. *Succara* maximam partem à textoribus ac tinctoribus incolitur, qui ex opificio isto viventes toti regioni magno cum emolumento inserviunt. Civitas hæc *Bullochiorum* prima est, quemadmodum *Rorea Multanorum* ultima. Sedulos ac bonos agricolas hic locus gignit, ac varia ex panno Indico aliisque utilibus rebus habet commercia. Incolæ naturâ faciles sunt, quibuscum liberè quis versari possit, licet superstitioni Mahumeticæ sint addicti. In hac civitate ultra 24. dies subsistimus, salvum conductum præstolantes. Castelli enim Capitaneus nequaquam volebat permittere, ut absque comitatu in viam nos daremus, quod iter esset periculosum atq; à prædonibus maximè infestum. Certè id magno nostro malo aliquoties postea experti sumus, quippe quibus ingenti pecunia identidem vita redimenda fuerit.

CAP. XX.

Gorra. A 25. Martii die usque ad 28. per densissimas sylvas ad 17. Cursus progressi, Gorram venimus, ubi biduum quieti dantes, ab incolis amicè excepti fuimus, licet hæc Bullochiorum seu rebellium esset civitas. Non in exiguo quidem metu versabamur, verùm Deus omne malum quàm clementissimè à cervicibus nostris depulit. Bullochii homines sunt procero ac robusto corpore, gigantibus similes atque Anthropophagi. Nullam profitentur religionem; solum adorant Solem.


Pridie Calendas Aprilis *Norrium*, decem confectis cursibus attigimus. Hæc ultima *Bullochiorum* civitas est, post quam, *Puttanorum* fines ingressi sumus.

Calendis Aprilis per planitiem quandam iter facientes, antequam illucesceret, duodecim viros habuimus, quos comiter nos salutaturos rati, paulò pòst prædones esse nequissimos deprehendimus. Antequam enim Sol oriretur, tanto prædonum agmine eramus circumsepti, ut licet ultra ducentos in comitatu nostro numeraremus, magni tamen beneficii loco nobis æstimandum fuerit, si prece ac precio Capitanei benevolentiam possemus nobis redimere. Hunc igitur clandestinis muneribus corrupimus, numerato insuper palam 20. Checkinoarum aurearum precio, quod vectigalis nomine ipsi dependitur. Sed parùm isthęc profuissent: nisi enim salvi conductus literas Mogolis, quem maximè metuunt, manu subscriptas, ac sigillo majori confirmatas conspexissent, ad unum omnes ab ipsis fuissemus trucidati, quemadmodum paulò antè aliis quibusdam satis numeroso agmine iter facientibus evenerat. Tandem post amicabilem transactionem absque ullo illato damno per fines suos nos deducentes, bona cum gratia à nobis discesserunt. Nos isthoc die novem ferè emensi cursus, loco campestri pernoctavimus.

Postridie octo confectis cursibus *Daddos* venimus, in qua civitate biduum commorati sumus.

A 3. usque ad 15. Aprilis, undecim dierum itinere per loca montana ad 100. circiter Cursus perreximus.

Quarto quidem die *Vageston* attigimus, quæ urbs civili ac moderato regimine



ne gubernatur. Inde *Candabaram* versus contendimus. Hæc eximia atque ampla Puttanorum civitas est, in qua Præfectus *Sawdar* sedem sibi delegit. Magna hic Mercatorum est negociatio, qui terrestri itinere ex Persia, Indestanis, Mesopotamia, aliisque Chinæ adjacentibus locis in hanc civitatem confluentes, omnis generis merces, quas regio ista profert, emunt, venduntque: Septem enim aut octo millia Camelorum circa hanc civitatem reperiuntur, qui mercibus importandis & exportandis inserviunt. Adhæc Præfectus Regius, Puttanorum, quæ gens admodum bellicosa est, rebellionem veritus, quadragies mille equos ad bellicos usus habet paratos. Cùm enim istam gentem vi militari subegerit, non sincero amore Præfectum prosequuntur, sed metu potius in officio continentur. *Candabara*

Sexta Maji iter nostrum *Ispahawnam* versus quæ Persiæ civitas est, dirigentes confectis 18. Cursibus, ad amœnissimum quendam fluvium, qui duas civitates interluit, pervenimus, in quarum altera, cui *Langoræ* nomen, noctem unam transegimus.

Die 7. & 8. ad 14. leucas progressis sub dio cubandum fuit.

Nono die duodecim emensi cursus ad amplum quoddam flumen, quod Puttanorum regionem à Persia dirimit, devenimus, ubi depenso pro Camelis vectigali, biduum quieti datum est.

Die 12. trajecto fluvio *Salbana*, ad Castellum quoddam uno milliari inde dissitum expositi, proximè *Grisam* civitatem attigimus. Fluvius iste Magni Mogolis ac Persarum Regis fines disterminat.

Puttani, quorum jam aliquoties facta mentio, homines sunt bellicosi, promissas alunt barbas, quas Mogolis subditi extremo odio aversantur: Magnum Cœli Deum, Mahometo contemtim habito, venerantur. Sacerdotes ipsorum Cilicium induti, prægrandibus catenis ventrem constringunt: oraturi in genua procumbunt ac in cineribus sese volutant. *Puttani.*

Tandem ex Magni Mogolis regnis ac ditionibus ad Grisam civitatem, quæ prima in limitibus Persiæ sese offert, pervenimus. In hac civitate Rex, quem Schawbassam nominant, decies mille millitum, unà cùm suis ducibus ac Capitaneis, alit præsidium.

Die 14. per planitiem quandam ad 6. *Forsongas* progressi, in campo pernoctavimus. Forsonga unaquæque unico milliari, milliare verò duobus Cursibus æquivalet.

A 15. usque ad 24. triginta duas Forsongas absolvimus, nocturno potissimum tempore, ob diurnos æstus, iter facientes. Interea *Dottorcham*, *Schawam*, ac *Veam* civitates transiimus: in harum ultima multi pelliones, qui stragula pellicea conficiunt, ut & Tapetum Turcicorum textores reperiuntur. Regio verò Dactylis omnisque generis fructibus aliis abundat.



CAP. XXI.

Parra.

DIE 24. sexemensi Forsangas pulcherrimam civitatem *Parram* intravimus, in qua dum duodecim circiter dies salvum conductum præstolamur, morbus me corripuit, qui tamen Dei beneficio paulatim remisit. Magna hîc est copia serici rubri, quod Persæ *Aveischam* appellant. Toto mense Junio, sexto ejus die iter ingressi, 106. circiter Forsongas per montana maximam partem loca perreptavimus: ubi obvias habuimus civitates *Bandam, Sundayam, Seastam, Gustam, Datteram ac Pahanavenam.*

Julii 2.3.ac 4. die 20. Forsangas per desertam atque incultam quandam planitiem peragravimus. Aqua, quam istoc loco reperimus, omnino erat salsa, quippe solum universum sale obsitum atque obtectum erat.

Die 5. ob aquæ penuriam quindecim Forsongas, solo inculto ac sterili progressi, in civitatem quandam, *Bibe* dictam devenimus, ubi totum biduum quieti indulsimus.

Ab 8. usque ad 24. diem continuo itinere 110. Forsongas deproperantes, tandem *Isspahawnam*, quæ una ex celeberrimis totius Persiæ civitatibus est, incolumes pervenimus. In hac civitate omnis generis vigent commercia, in quem finem passim magnificæ ædes ac augustissimæ Cameræ sunt exstructæ, in quib. merces omnis generis commodè reponi, mercatores unà cùm Camelis, Equis, aliisq; pecudibus hospitio excipi possint. Emolumentum verò, quod inde provenit, omne Regi accedit. Tota regio circumjacens, etiamsi ad 100. milliaria excurrat, hanc civitatem commune agnoscit emporium, in eamque merces suas preciosissimas atque optimas deportant. Locus quidam peculiaris in hac urbe reperitur, areæ, in qua mercatores obambulare solent, non absimilis, qui immensis divitiis excellit. Hoc enim in loco præstantissimæ duntaxat merces, aurei argenteique falces, holosericum, undulatum, Damascenum, uniones, margaritæ, aliaque id genus Clinodia venum exponuntur: quæ omnia certa quadam serie distinguuntur, ut hoc in loco sericum rubrum, illo sericum elaboratum, alio vestes omnis generis reperias, quemadmodum *Londini* in platea *Birchingia* fieri consuevit, quæ tamen omnia majori copia, ac habitu Persico in hac civitate inveniuntur.

CAP. XXII.

LOcus hic *Indico, Anniela* variisque id genus aromatibus abundat, quæ à Judæis ut plurimum istuc loci negociantibus, aliisq; submissa, magno precio divenduntur.

Cameli hoc loco optimi ac præstantissimi reperiuntur, ut & equi muliq; pulcherrimi magno numero. Cúmque communiter 500 librarum onus Camelis imponi soleat. Persici Cameli ordinariè 800. librarum onus absque ulla difficultate gestare solent.

Persarum rex hac in civitate diversis locis magnificas extruxit ædes, eximia palatia, pomaria, hortosque amœnissimos, fontes, piscinas, porticus, ambulacra, tanta venustate ac solertiâ elaborata, ut simile quippiam neque animus cogitare, neque humana industria indagare possit. Non quidem id temporis præsens Rex aderat, sed quemadmodum ex Monacho quodam intellexi ad aliam quandam civitatem, *Tobriam* dictam, concesserat. Primarium Regis palatium, è regione foro majori, objacet, in cujus antica parte, quæ ad partem usque protenditur, 36. Serpentinæ majores, aliæque machinæ bellicæ conspiciuntur.

Quærebam hoc in loco *M. Robertum Scherleyum*, spe fretus bona, ejus ope atq; operâ rectiùs atque ex animi sententia iter meum me instituturum: verùm is jam ante septem menses iter in Angliam remetiens, versus Caspium mare, quod duorum mensium itinere ab *Ispahawrna* distat, fuerat profectus. Vina hoc loco generosissima, ut & alii fructus omnis generis reperiuntur: ac fortissima quidem eorum vina cum Canario, rubra cum Francico editis in locis nato, vilissima cum insulari vino comparari possint. Cibi omnis generis magnâ copiâ, tolerabili precio veneunt.

Perpetuò in hac civitate Legatus Regis Lusitaniæ cum quinque Monachis commoratur, qui liberum Romanæ religionis exercitium in æde quadam, ad id peculiariter destinata, obtinent. Quemadmodum etiam alii ex Armenis Græcisque Christiani absque ullo impedimento aut nocumento quàm liberrimè religionem suam profitentur.

A sexta Augusti usque ad 20. centum quadraginta Forsongas, maximam partem densissimas sylvas perrumpentes, emensi sumus. Hoc in itinere *Corrondajum*, *Misckereon*, *Bugdadam seu Babylonem*, *Corrynum*, *Lackerseam*, *Corpetum* lustravimus, donec tandem ad civitatem quandam, cujus ædificia instar tentoriorum, pilis tecta erant, deveniremus, ubi bidui moram traximus.

Die 23 & 24. porrò per 18. Forsongas ex eremo eluctati, ad alium quendam pagum, pilosis ejusmodi ædificiis constructum pertigimus.

Vigesimo quinto die immanem sylvam, quæ ad 15. Forsongas in longitudinem protrahebatur, superantes arduum ac præcipitem quendam montem conscendimus, in cujus descensu duos Camelos, qui præcipites acti perierunt, perdidimus. Nobis verò summo opere cavendum erat, ne in idem præcipitium laberemur. Ad pedem hujus montis noctem istam substitimus.

Die 26. duas circiter Forsongas progressi ad pagum quendam alium piloso itidem panno obtectum devenimus. Hîc triduum commorati vectigal pro Camelis nostris dependimus. quòd civitas *Nazzeretum* unicâ tantum *Forsongâ* inde distaret. In edito quodam monte magni cujusdam Sultani seu principis viri monumentum



tum ac ſepulchrum cernitur. Cauſam rogati, cùm tam excelſo loco ſepeliri voluiſſet; Ut tanto vicinior cœlo eſſet, reſponderunt.

CAP. XXIII.

AUGUSTI 30. die, 10. Forſongas uſque ad fluvium *Sinneam*, qui in Euphratem deſinens Perſas atque Arabas diſterminat, perreximus. In littore hujus fluvii pervetuſtæ civitatis Perſicæ, olim à Turcis atque Arabibus vaſtatæ, rudera conſpiciebantur.

Ultima Auguſti, octo confectis Forſongis, loco deſerto ad fontem quendam pernoctavimus.

Sultani ac primores Perſici in civili converſatione admodum urbani, modeſti ac humani ſunt: vulgus verò malitioſum, incivile atque obſcœnum eſt. Patrum Mahumetum venerantur, Sodomiæ flagitio ultra modum obnoxii. Alioquin pertinaces ac laborioſi ſunt in fodiendo, plantando, ſerendo, carpendo xylino, aliáve lana, in nendo, veſtibusque villoſis ac pelliceis conficiendis. Pluviis, ut plurimum deſtituuntur, itaque magno labore aquam ex fluminibus in paſcua agrosque derivant. Oves caprasque tellus alit magno numero, ſed vaccas bovesque non item. Reperiuntur ibidem Gallinæ Turcicæ, aliæque volucres infinita copia. Ad hæc quàm tutiſſimò, absque ullo prædonum metu viator iter poteſt facere, cum prædonum etiam mentio, miraculi inſtar apud hanc gentem habeatur.

Calendis Septembris 12. peragratis Forſongis ad primam Arabum civitatem *Sabbercam* pervenimus. Civitas hæc ampla atque Arabum præſidio munita eſt. Mala punica, quæ Arabes *Anartes* vocitant, magnâ copiâ hîc proveniunt. Nos diem noctémque unam ibi ſubſtitimus.

Tertia die 14. Forſongas progreſſi, *Buldanum* pertigimus, ubi perſoluto pro Camelis vectigali, integram diem noctémque commorati ſumus. Arabes hunc locum firmo militum præſidio munierunt, qui tamen omnes latrociniis aſſueti ſunt. Vix enim egreſſi urbe eramus, cum *Joſephus Salebanckus*, ex comitibus noſtris unus, quià comitatu ſecedens tardiùs nos ſequebatur, ab Arabibus iſtis veſtibus exuſtus ac ſpoliatus, plagis inſuper malè mulctaretur ac vulneraretur. Certè niſi egomet aliquot *Chickerneos* nummos occultaſſem, nullum iſtius monetæ genus nobiſcum in patriam retuliſſemus.

Sexta die confectis 18. Forſongis ad magnam civitatem, *Bagdetum* ſeu *novam Babylonem* venimus, ubi aliquot ſeptimanarum moram traximus. Civitas hæc ad magnum fluvium Euphratem ſita, ampliſſima ac craſſiſſimis muris, in quibus centum & viginti tormenta ænea diſpoſita erant, munitiſſima eſt. Trecentas minores majorésque naves ad urbis commercia promovenda habet inſtructas. Ante quadriennium Turcicus Imperator Perſarum Regi hanc civitatem ademit. Pons ſublicius ex triginta tribus levis materiæ navibus arctiſſimè combinatis, ac catenâ ferreâ fortiſſimè colligatis, Euphrati impoſitus eſt, ut quis ad Antiquam Babylonem commodè poſſit commeare. Nam unici milliaris intervallo deſolatæ Babylonis rudera cernuntur, quæ olim toti orbi miraculo fuit.

Imperator Turcicus huic loco firmum præſidium addidit, cui magnum illum Baſſam, Mahumetem Pattechogum ſuo nomine cum imperio præfecit. Veneti quoque duos in hac civitate Procuratores habent, qui cum infidelibus ſua miſcent



ſcent commercia. Armeni quoque Chriſtiani non exiguo numero ibidem reperiuntur.

Gubernator ille Turcicus rei bellicæ admodum gnarus eſt, ut præclara rerum geſtarum monumenta ſatis arguunt: quippe qui non ſolum *Bugdadum*, ſed & *Taurisſium*, quod ejuſdem amplitudinis oppidum Perſici juris antea fuerat, quàm feliciſſimè expugnavit. Jamque rumor ſpargitur, eundem totius Perſici regni metropolin *Iſpahawnam* brevi armata manu aggreſſurum.

Decima Octobris Anglus quidam *Johannes Wichtus* ad nos venit, ſubindicans, ſe ob Orientales Indias rectiùs detegendas, *Iſpahawnam*, vt colloquium cum *Johanne Midnallo* inſtitueret, ablegatum eſſe.

Cùm verò certò nobis conſtaret, *Midnallum* eo in loco minimè conveniri poſſe, quippe qui *Armuſium* verſus, uti diximus, iter ſuum direxerat: ego & *Joſephus Salebanckus* authores ipſi fuimus, ut ad mare rubrum ſeu Cambajam porrò iret, quòd Dominus *Henricus Midletonus* cum duabus Anglicis navibus, quarum una *Trades increaſe*, 1100. onerum capax, altera *Clove* dicta, unà cùm celoce, cui ex grano piperis nomen erat, iſtuc loci miſſus eſſet. Atque ita optimo meo ſodali *Joſepho Salebanco* comitem ſe adjungeret, cùm linguæ Turcicæ ſatis eſſet gnarus, donec tandem ad *Dominum Henricum Midletonum* pervenirent. Hunc enim ante omnia de itineris noſtri ſucceſſu certiorem reddendum eſſe exiſtimabamus, ut eò rectiùs periculum, quod nos perpeſſi eramus, poſſet evitare ac declinare: Adhæc indicandum, quo in loco, qua ratione quàm commodiſſimè plenam vecturam obtinere poſſet, ne magna cum precioſi temporis jactura ſumptus in immenſum excreſcerent.

CAP. XXIV.


OCTOBRIS 18. die communi conſilio *Joſephus Salebancus* ac *Johannes Wichtus* octodecim dierum iter *Baiſaram* verſus, quæ civitas ampliſſima fluvio Euphrate alluitur, ingreſſi ſunt: ibidem Caravanam præſtolaturi, quæ ipſos incolumes, uſque ad *Judajam* mari rubro vicinam urbem, deduceret. Quamvis autem *Joſephus Salebancus* ad extremam tum temporis penuriam redactus eſſet, utpote qui paulò antè rebus omnibus exutus ac ſpoliatus erat, nihilominus æquo animo moleſtam ac periculoſam hanc peregrinationem, amore patriæ, ſuſcepit: cui pro mea virili aliud humanitatis officium deferre non potui, quàm quòd Camelum conduxi, ac ſex Starlingiorum libras, ingentem pecuniæ ſummam, ipſi mutuas in manum dedi: Sic dimiſſum omnipotenti tutelæ ſupremi numinis optimum meum ſodalem ac fidiſſimum ſocium commendavi.

Ut verò ad noſtrum iter revertamur, 22. Octobris die ex *nova Babylone* migrantes, *Alepum* verſus contendimus, ac confectis ſexaginta circiter milliaribus ad civitatem quandam *Muſſavvcoſam* divertimus.

Ultima Octobris, trium dierum itinere, triginta emenſi milliaria per meras ſolitudines ad oppidum quoddam *Ruſſeele* dictum, hoſpitio tantùm nobile deflexiмus.

Hinc prima Novembris ad exiguum quendam pagum *Deeſcham*, octo milliaribus à priori loco diſſitum perreximus, unde porrò quinque dierum itinere *Muſſellam*, quæ Nineve eſt, pervenimus. Civitas hæc paſſim collapſa in rude- Nineve.

F



ruderibus jacet, reliquiæ tamen ejus etiam amplissimas urbes, quas toto hoc itinere mihi videre licuit, quàm longissimè exuperant. Civitas hæc Turcarum dominio subest, atque à supremo quodam Bassa, eique subditis præsidiariis militibus gubernatur. Castellum in ripa Tigris extructum, diversis suburbiis distinctum est. Commercia hîc ferè nulla sunt. Præter præsidiarios milites, etiam Armeni aliquot Christiani reperiuntur, qui peculiare templum ac monachos suos habent, ac nemine contradicente, quàm liberrimè religionem suam profitentur.

Multa quoque adhuc cernuntur monumenta, quæ urbis antiquitati testimonium ferunt. Nos quatriduum in ea commorati sumus.

Decima quarta Novembris ad castellum quoddam, *Nussebawum*, quatuor milliaribus ab urbe dissitum pervenimus. Hoc in loco ferunt Jonam Prophetam Concionum suarum, quibus finitimas urbes ad pœnitentiam est exhortatus, fecisse initium, cujus effigies etiamnum ibidem lapidi incisa ostenditur: quæ quidem assiduis præliis attrita ac mutilata, nihilominus à Christianis huc illucque post captam à Turcis Ninivem dispersis, magno in honore ac precio habetur.

Porrò ad viginti quinque milliaria trium dierum itinere progressi, decimo octavo Novembris *Hamadeinam* intravimus. Perantiqua hæc Armenorum civitas, Turcarum violentiâ miserè vastata est: Ex monumentis, de celebritate ac potentia hujus urbis, facilè est colligere. Nos diem noctemque unam ibidem substitimus.

Vigesima Novembris Groubam versus, viginti quinque milliaribus à priori dissitam urbem contendimus. Hîc Consulem seu Legatum quendam Venetum cùm quinque aliis Venetis, qui Babylonem petebant, offendentes, integrum diem commorati sumus.

Die vigesimo quarto Novembris, trium dierum itinere, confectis viginti quinque milliaribus, *Ulphawam* usque pertigimus. Hoc in loco Turcarum Imperator fortissimos alit præsidiarios, atque ingens vectigal à peregrinantibus exigit. Nulli conductori aut pediti vel unicam noctem in civitate licet transigere. Interdiu civitatem intrare, ac necessariam alimoniam in foro sibi componere unicuique liberum, modo ne moras nectat, ac quàm primùm ex civitate se proripiat. Nos tamen quinque circiter dies ibidem hæsimus.

CAP. XXV.


SECUNDA Decembris *Beeram*, quæ civitas Euphrati adjacet, trium dierum itinere seu 25. milliaribus ab *Ulphawa* distans, attigimus. Hęc itidem civitas firmissimo opere extructa, ac fortissimo præsidio munita est. *Beera.*

Sexta die, trajecto Euphrate, biduo tredecim emensi milliaria, *Lummam* vidimus. *Lumma.*

Octava die decem confectis milliaribus sub noctem Aleppum attigimus: ad duo milliaria caprificus ac vineas uvis onustas transeuntes.

Quamprimùm igitur nobilem ac magnificam hanc urbem ingressi sumus, rectà ad domum Anglicam contendentes in ea M. Paulum Pindertum Curatorem, virum de loco illo optimè meritum, antiqua virtute ac fide, erga omnes humanum ac beneficum offendimus: Is summa erga nos liberalitate usus est.

Nam



Nam de necessaria alimonia abundè nobis prospexit: & cum nudi omnibusq; rebus exhausti, ego ac comes meus *Richardus Martinus* ad ipsum venissemus, non solum per integros 12. dies cibum potumque nobis largiter subministravit, sed & vestibus ac pecuniâ ad iter apprimè necessaria nos sufficienter instruxit. Eâdem humanitate ac munificentiâ alius quidam Anglus *M. Spica* erga nos utebatur: ut & alii quidam Angli nobis minùs noti, qui omni opera longinquam nostram peregrinationem studebant promovere.

Ut de *Alepò* paucula referam; Civitas hæc ob commercia frequentissima, totâ Angliâ, nostrisque mercatoribus est notissima. Conferri possit cum Ringstovia in Thamesi sita. Quatriduo enim isto, quo Alepi substitimus, 2000. Cameli serico aliisque mercibus onusti ibidem appulerunt; ut & diversæ Caravanæ ex Mesopotamia, Agra, Indestanis, Persia aliisque remotis ac propinquis locis, quæ omnes commerciorum gratia iter istuc fecerant. Certè tantam mercatorum frequentiam alibi me vidisse non memini.

Vigesima prima Decembris, cum extremum vale *M. Paulo Pinderto, M. Spicæ*, aliisq; mercatoribus dixissem, unà cum comite meo *Richardo* Martino, iter *Tripolin* versù ingressus sum. Eodem adhuc die per deserta loca ad 7. milliaria progressi, duabus horis quieti datis, adhuc 15. milliaria perreximus, usque ad pervetustam civitatem *Ashecum*. Hîc dimidium diem morati, cibos nobis comparavimus, porrò *Hamam* oppidum petituri. Causa tantę festinationis erat, ut unà cum Caravana, seu centum hominum comitatu, qui *Mecham* Mahumetis sepulchrum invisuri cōtendebant, iter istud possemus conficere, quod alioquin ob prædonum passim discurrentium insidias, infestissimum est. In hac civitate multi Textores reperiuntur, qui ex *Dinotree*, undulatas, xylinas aliasque omnis generis vestes, ut & pannos conficiunt. Magnus ibidem peregrinantium confluit numerus: nos in amplo quodam diversorio, quod Canam incolæ vocabant, biduum transegimus.

Die 26. octo confectis milliaribus ad parvam quandam Civitatem, *Romam* venimus, quæ nobis ea nocte hospitium præbuit.

Vigesima septima die, octo circiter emensi milliaria ad Cœnobium quoddam Hulddrealius dictum divertimus. Cœnobium hoc ab Armenis Christianis erectum, qui etiamnum transeuntibus Christianis de hospitio, olivis, pane, oleo ad lampades instruendas necessario prospiciunt. Vidimus isto in loco effigiem S. Georgii non solùm Equo insidentis ac cum Dracone pugnantis: sed etiam peditis; crucem, ac res gestas peculiari libro antiquis typis Romanis inscriptas: quas reliquias istac iter facientes Christiani religiosè venerantur, ideoque perpetuò ardentes lampades iis appenduntur.

Die 28. decem superatis milliaribus Oppidulum *Honam* attigimus, in quo noctem istam quievimus.

CAP. XXVI.



VIGESIMO nono Decembris die decem progreſſi milliaria, tandem *Tripolin* venimus: Hîc magnam quandam Londinenſem navem, *Exchange* dictam, cui *M. Robertus Brandſchawa* & *Ratliſius* cum imperio præerant, offendimus. Hi ante decem dies penè naufragium paſſi fuerant: quippe ruptis rudentibus ac colliſis anchoris navis vitium facere atque aquam imbibere cœperat: ut jam de primaria malo nautica recidenda ac in mare projicienda cogitarint, ne in propinquos ſcopulos ventorum violentia impellerentur. Verùm enim verò, cùm Divina adjuvante clementia, Rudentes atq; anchoram recuperaſſent, omnes ſalva etiam navi incolumes ſubmerſionis periculum evaſerant. Jam veſtibus nudi ad natandum ſeſe accixerant, niſi Deus, quaſi ex improviſo, opem ipſis tuliſſet.

Hac tempeſtate Veneta navis, 1100. doliorum capax periit: quæ tamen ſcopulis quàm proximè adhæſit, ut, qui in ea eſſent, homines ſalvi in terram enatarint.

Nec minori in periculo Gallica quædam navis fuit, quæ malum jam in undas projecerat: nihilominus per Dei gratiam, omnes ſalvi abiere. Adhæc quidam ex Anglico comitatu navis *Exchanges* malum inter duos ſcopulos repertam ad littus protraxerunt, quam faber nauticus adeò artificiosè ac ſolidè alteri cuidam ligno, ab Hollandis ſubminiſtrato conjunxit, ut eâdem inſtructi malo iter in Angliam feliciter remenſi ſint.


Ut Tripolin ventum, ſtatim ad Emporium Anglicum nos contulimus, in quo *M. Lucam* Aleppi Viceconſulem, ejusque miniſtrum, qui vecturam navis *Exchanges* procurabat, offendimus. Nos biduum cum illo morati hilariter viximus, ſicque terreſtri noſtro itineri, quod ſatis longinquum ac periculoſum fuerat, finem impoſuimus.

Calendis Januarii veniâ prius à *M. Luca* poſtulatâ, ego & Richardus Martinus navim conſcendimus. Capitaneus *Bradſchavva* ſatis liberaliter nos excepit, & quia viderat me ex longinquo itinere laſſum atque enervatum, ſalubre admodum cubile mihi adſignavit, curâ mei Chirurgo fideliter commendatâ.

Die 3. Januarii ſublatis velis in Angliam reverſuri, vigeſimo primo die ad inſulam *Zonten* appulimus. Hîc trium menſium annonam, quam prima navigatione ibidem repoſuerant, excepto oleo vinoque Corinthio, quod ſolummodo iſtoc in loco naſcitur, in navem intulimus. Alioquin locus ſterilis atque incultus eſt, ut ſe ipſum alere haud poſſit, niſi ex aliis oris annona neceſſaria importetur.

Vigeſima quarta die ex hac inſula ſolvimus: quia verò venti contrario impetu adverſum nos inſurgebant, Navis patronus metuens ne navis alto mari, fluctuum ventorumque violentiâ colliderctur, portum Melitenſem petere decrevit: quem etiam vigeſimo quarto Februarii aſſequuti ſumus.

Melita ſeu Malta arx eſt fortiſſima veréque inexpugnabilis, muris altiſſimis ſepta ac ſolidæ rupi impoſita: ut parem vix agnoſcat. Ego certè terra marive nuſquam ejuſmodi propugnaculum me vidiſſe ingenuè fateor. In muris, valliſque tam



tam veteris, quàm novæ urbis tormenta ænea mole atque artificio præſtantiſſima conſpiciuntur.

Hac in civitate perantiquus Equitum Melitenſium bellæ crucis ordo ſedem ſibi fixit: Hi contra communem totius orbis Chriſtiani hoſtem Turcam acerrimè ac fortiſſimè pugnant: palatia habent eximia, qualia in noſtris aulis licet cernere. Omnes ſunt Chriſtiani, Armeni, Hiſpani, Itali, Germani ac maximam partem Galli. Magnus totius ordinis magiſter natione Gallus erat. Anglum, qui ordini iſti nomen dediſſet, non repperi. Nihilominus omnem honorem, amorem ac benevolentiam nobis exhibebant, ut ſunt humanitatis ac civilitatis per quam ſtudioſi.

Omnes hujus ordinis equites albas cruces in palliis ſuis humero tenus geſtant. Si quis in eorum numerum cooptari cupiat, is communi ærario 100. libras dependit. Neque tamen continuo Equitis titulus ipſi conceditur, niſi priùs virtutis ſpecimen in prælio contra Turcas ediderit, atque ita rebus geſtis ſe tantis honoribus dignum declaraverit. Sed de his plura apud authores alios reperiuntur, ad quos lectorem remitto. Nos quinque dies in hac inſula commorati ſumus.

Decima Martii ex Malta diſcedentes, vigeſimo ſecundo die ad ſpeculam quandam duobus tormentis majoribus munitam delati anchoras ibidem fiximus. Verùm cùm non ſtatim in littus egrederemur, qui in ſpecula erant, tormenta ſua in nos direxerunt. Itaque Capitaneus Nauclerum cum ſcapha in terram ablegavit, qui quidem incolis perbenignè eſt exceptus: Cumque Anglos nos eſſe cognoviſſent, Excubitorum Præfectus ſtatim ad navem noſtram veniens, vivum porcum capitaneo noſtro dono obtulit: qui triplo majora refundens Capitaneum contentum dimiſit. Me verò, unà cum Commiſſario noſtro ac Melitenſi quoddam Equite, qui in Galliam mittebatur, per Nauclerum eiuſque miniſtros in littus provehendum curavit, ut *Callaram* profecti commeatum neceſſarium navi compararemus.

Verùm excubitorum Præfectus, quàm primùm in terram expoſiti ſumus, Commiſſarium noſtrum, ut & Melitenſem Equitem captos in vinclis apud ſe detinuit. Nauclerus, cùm aliter Commiſſarium noſtrum liberare non poſſet, levatis anchoris, navem *Callaram* verſus propulit, ac de Excubitorum Præfecti injuria coram ſupremo ſenatu conqueſtus eſt. A quo decretum, ut captivi, qui quartum jam diem detenti fuerant, abſque ulla mora libertati reſtituerentur: Præfectus verò iſte ob illatas injurias, ab officio, quo nefariè abuſus fuerat, removeretur. Sic captivi noſtri in navem redierunt. *Callara*, magna urbs eſt, complurium Equitum & navicularum præſidio nobilis: jacet in Sardiniâ ampliſſimâ ac frugum omnis generis feraciſſima inſulâ.

Cùm ſex ferè dies juxta hanc inſulam obliquatis velis hac illacque fluitaſſemus, duas bellicas naves ex alto adverſum nos ferri vidimus: quas prima fronte ad *Capitanei Wordeſii* claſſem pertinere arbitrati ſumus. Verùm illæ hoſtili impetu noſtram navem adortæ primum, cùm alacriter nos reſiſtere, ſeque victoriæ, quam jam animo devorarant, ſpe falſos cernerent, mutatis velis ex conſpectu noſtro ſe proripuerunt.

Tandem propitius ventus cœptis noſtris aſpiravit, ut per Levantem ex freto Gribraltaræ eluctaremur.


Poſtmodò cũ juxta promontoriũ *Burlãtiæ*, ubi ſcopuli ſunt frequẽtiſſimi, ſi qs *Vliſſiponẽ* vers⁹ vela dirigat, vẽtos nacti eſſem⁹ cõtrarios, Navarch⁹ iterũ verit⁹, ne navis

ventorum violentia ad scopulos allisa perditum iret, Caliciæ portum petendum censuit, in quo quarta die post anchoras demersit. Denique, cum vento commodo nos exhilararet Numen, altum repetentes, ultima demum Aprilis die, Anno 1611. in *Cantonum* portum *Doveram* feliciter appulimus. Tum Immortali Deo fusæ à me grates, quod incolumem me patriis sedibus reddidisset, quippe quasi de novo in lucem editus mihi videbar, quàm primùm dulci patriæ solo pedum vestigia imprimere licuit. Deum verò precor, ut ejusmodi miseriam, in quam imperiti Nautæ me præcipitavit imprudentia, ab omnibus aliis quàm clementissimè avertat.

Quod verò regna, nationes ac regiones terrâ mariqúe à me longinquo hoc itinere visas lustratasque attinet: ajo illas nequaquam cum Anglia nostra comparari posse, quippe quæ instar terreni cujusdam Paradisi, præ omnibus aliis insulis, beatissima summo jure censeri debet. Verùm hæc de ista navigatione dicta sufficiant. Tu candide lector, vale, iisque fruere.

PIETATE FIDES GAUDET.

HISTO-





HISTORICA DESCRIPTIO REGIONIS SPITSBERGÆ, EJUS PRIMAM DETECTIONEM, SITUM, naturam, animalia &c. ordine recensens.

ADDITA

Tristi relatione injuriarum, quas Piscatores nostri, tam Biscaji, quam Hollandi, præterita æstate Anni 1613. ab Anglis perpessi sunt.

ET

Protestatione contra Anglos, quâ frivola illorum argumenta, quibus sibi solis omne jus in istam regionem deberi hactenus persuasi fuerunt, solidè refutantur.

REGIO magis ad Septentrionem vergens, quatenus à priscis olim cognita est, dicta est *Thule*, quam plerique ex modernis Geographis existimant esse Islandiam. Recentiores, qui patrum nostrorum memoriâ vixerunt, ac nominatim Gerardus Mercator, illam infra aut circa polum Arcticum sitam esse statuit. Ac scribit quidem Mercator, se librum quendam peregrinationum Jacobi Croyi, descriptum à Presbytero quodam Regis Norwegiæ circa Ann. 1364. natum esse, qui maximam partem quàm proximè ad computum suum accedat. Verùm nostri temporis homines istas delineationes futilitatis arguunt. Nostri enim nautæ arbitrati se dicto Mercatoris loco mare amplum & navigabile reperturos, cujus ductu Chinam usque, ipsasque adeò in Indias pertingerent: cùm illum (ut verisimile est) subiissent, nil nisi immensum frigus perpetuamque hyemem sunt experti, usque adeò, ut cùm Septentrionale latus Novæ Zemblæ ad 77. & 76. elevationis poli gradum, plusquam 20. gradibus à freto Weigatz, quoad longitudinem Orientem versus dissitum, navigando perstrinxissent, nullas planè terras Septentrionem versus conspexerint, nisi infinitam glaciei molem, à qua tandem è regione Novæ Zemblæ undique cincti & circumsepti sunt: atque ita Mappam Mercatoris de regione quadam sub Polo, nullo modo experientiæ suæ respondere intellexerint.

Verùm regio illa magis ad Septentrionem vergens, quæ nondum hactenus fuit cognita, quam jammodò describendam nobis sumsimus, sita est inter Gronlan-



landiam, quæ Regem Norvvegiæ agnoſcit dominum, & Novam Zemblam, à Ruſſis ſic appellatam, qui iſtas regiones poſſident, ex adverſo promontorii Septentrionalis in Finlandia, quam vulgus vocat Nordlandiam in Norvvegia. Porrigitur (ut quidem hactenus noſtri potuerunt cognoſcere) à 76. uſque ad 80. latitudinis gradum, ſi calculum ineas juxta lineam Æquinoctialem, quæ efficit in longitudine ſexaginta milliaria Germanica, aut ſeptuaginta leucas Gallicas.

Detecta eſt primùm à duabus navibus, in dicto illo Chinam & Japponem verſus itinere, quas nobiles Domini ac Senatores Ambſtelredamenſes rebus neceſſariis adprobè munitas atque inſtructas expedierunt. Admiralem hiſce præfecit Illuſtriſſimus heros Mauritius Naſſovius Jacobum Henrici Hemskerchium, qui deinde in expugnatione Caſtelli civitatis in ſinu Gibraltaræ egregiam atque immortali memoria dignam laudem reportavit. Nauclerus ipſi fuit Wilhelmus Bernardi, qui in eundem ſcopum ex mandato Ordinum generalium idem iter bis relegit. Altera navis Præfectum & commiſſarium habuit Johannem Cornelium Ripenſem.

Hîc Johannes Cornelius author verè fuit retegendæ iſtius regionis, quam modò deſcribemus. Poſteaquam enim duæ iſtæ naves ad Urſorum inſulam, aſſecutæ 74½. elevationis Poli gradum, appuliſſent; Guilielmus quidem Bernardi Orientem verſus, Johannes Cornelius autem metuens, ne à glacie in regione Novæ Zemblæ circumveniretur, Occidentem verſus vela facienda exiſtimavit: tandem tamen Guilhelmus Cornelio obſequutus eſt, quemadmodum ex hiſtoria iſtius navigationis eſt videre. Ut verò rectiùs iſta animadvertantur, operæ precium me facturum exiſtimo, ſi diarium manu Guilhelmi Bernhardi conſignatum, hîc breviter recenſeam.

Die 18. Maji, ſtylo novo, ſolvimus Texeliâ; 22. appulimus è regione Fayrill, prope Orcaneſſas.

5. Junii in glaciem incidimus, quæ ex Gronlandia defluere viſa eſt, à qua regione 25. leucas circiter, juxta noſtrum calculum, aberamus. Aqua erat viridis, colore fuſco. Fundum contati invenire non poteramus, glacies verò in longitudinem maris Auſtro Zephyrum, & Aquilo-Eurum verſus porrigebatur, immenſis glebis ſeu cruſtis conſpicua.

Poſtridie curſum variè modo Aquilo-Zephyrum, modo Aquilo-Eurum verſus ad 9. leucas contorquentibus, tanta moles glaciei comparuit, ut eam penetrare non liceret: nec bolide ad 120. orgyias projecta profundum emetiri poſſent. Meo quidem indicio, 55. leucis ab inſula Lyffoet verſus Aquilo-Eurum, à promontorio vero Septentrionali 110. aut 115. leucis aberamus.

Inde Occidentem verſus directo curſu, 10. Junii attigimus Urſorum inſulam, ſub g. 74. min. 35. poli elevati ſitam. Mox Aquilo-Eurum verſus vela facientes, cùm propter obſtantem glaciem curſum continuare non poſſent, ad modo dictam regionem reflectendum fuit. Ex urſorum inſula ſolventes, intra Eurum & Aquilonem tenuimus curſum, ſpe ducti bona verſus Septentrionem meliorem tranſitum repertum iri. Qui in altera navi erant Eurum verſus ſemper declinabant: ego verò magis Auſtrum verſus contendendum cenſui. Sic ad veſperam uſq; 16. leucas progreſſi, noctu, donec iterum illuceſſeret, 15. leucas confecimus.

14. die, ad ſerum noctis uſque propulſis navibus leucas eodem curſu ſuperavimus 22. Tandem ubi tempeſtas affulſit ſerenior, quàm proximè glaciem nos delatos ſenſimus. Terram quidem in Septentrionali plaga videre nobis viſi ſumus, nihil tamen certi de ea licebat cognoſcere.

15. die variè mutato hac illacque curſu, cum bolide ad 150. orgyias projecta, profun-



profundum emetiri non possemus, remis fortiter incumbentes inter Austrum & Zephyrum continuato tramite, ad 5. leucas processimus, nacti altitudinem poli 78¼. grad.

Tum ventum à tergo experti Zephyrum versus 7. leucas progredimur. Ac deinde ad vesperam usq; magis ad Aquilo-Zephyrum declinantes, 5. Leucas.

Hîc cete vatissimum mortuum prætervecti sumus, fœtorem tetrum quoquo versum expirans.

Die 16. horrida ingruit pruina, mox Euro usi benigniore inter Aquilonem & Zephyrum porrecto itinere, ad meridiem, usq; leucas emensi sumus 21. Sed ob glaciei molem viam relegentes, juxta glaciem ad 5. leucas versus Aquilo-Zephyrum processimus.

Deinceps ex glacie emersi versus Austro Zephyrum, leucas. 6.

Donec via inter Austrum Eurumque media, 4. leucas inter glaciei crustas perreperemus, idque summo mane.

Die 17. Cœlum erat tranquillum usque ad meridiem: tunc altitudinem poli dimensi sumus 80. g. & 10. min. Hîc cursus fuit obliquandus, quòd ventos planè cōtrarios experiremur, si quâ fortè ex glacie pateret exitus. Trajectis 5. aut 6. leucis Euro nobis aspirante ad vesperam usque, prolabimur, fundum invenientes 90. orgyiarum. Quadrantem leucæ Austro Zephyro provecti, ad Austro-Eurum per quatuor leucas cursum protendimus. Tum demum terra, ubi magis ad Eurum inclinaremus, comparere cœpit, quæ 8. aut 9. leucis partim ad Euro-Aquilonem, partim ad Zephyro-Austrum protendebatur. Terra erat alta, & tota nivibus cooperta, atque ab uno puncto Septentrionis Orientalis in alterum desinebat.

Die 18. Austro-Eurum versus directis velis ad 6. leucas, altitudinem poli reperimus 80. grad.


Vento adverso littus legimus, Euro, & Aquilone nonnihil adjuti ad meridiem usque 20. Junii. Distabat Promontorium Orientale istius regionis à nobis Austro-Eurum versus 5. circiter leucis. Quas emensi conjunctim ad largum quendam angulum appulimus, quià terra Austrum versus spectabat; mox provecti sumus in sinum quendam unius istarum insularum, qui longiùs etiam versus Austrum prominebat.

A Continente reflexo itinere, cùm vento Euro-Aquilone proveheremur, denuò in glaciem delabimur, ut vela Austrum versus stringere cogeremur.

Die 21. Coorta est ingens ventorum tempestas, nixq; copiosa ex plaga inter Meridiem & Orientem media decidit. Nos nihilominus vento adverso ad vesperam usque progressi, anchoras unà cum sociis quàm proximè terram sub ipsum Canalis ingressum excussimus, fundum sabulosum 18. orgyiarum animadvertentes. Ad punctum Occidentale istius ostii rupes erat, subtus divisa, cognitu facilis. Haud longè inde ad tertiam leucæ partem à dicto Occidentali puncto parva quædam insula cernitur. Puncto verò Orientali, quàm proximè alia adhuc rupes adjacet.

Die 22. 7. Scaphis Saburram ad naves ingessimus, ut eò rectiùs firmari possent. Interea Candidus ursus immanis staturæ adnatare visus est, quem tribus scaphis insectati tandem interfecimus. Detracta cutis 12. pedes longa erat. Eodem die unâ scaphâ meliorem portum, qui nobis maximè opportunus erat, indagatum, ad interiora perreximus, ubi terram à mari separatam atque avulsam reperimus, in eaque diversas insulas, portum navibus diversis in locis præbituras commodissimùm.

Die 23. Veram Meridionalem lineam circulo Astronomico metientes, ante meridiem 11. post meridiem 16. graduum declinationem invenimus, quod



ligula pixidis nauticæ magis ad Aquilo-Eurum declinaret, ut gnomoni exacta fides haberi non poſſet.

Egreſſi ex hoc ſinu, exploratum, quouſque latus iſtud porrigeretur, finem ejus aſſequi non potuimus, licet oculis maximè expoſitus videretur, & 7. leucis ex Auſtro Eurum verſus promineret. Appulimus tamen ad angulum altum & montoſum, qui inſtar Inſulæ cujuſdam conſpectui noſtro ſeſe offerebat. Exactè ſolis altitudinem dimenſi, quæ erat 13. grad. nos elevationem poli 79. grad. 34. minut. aſſecutos deprehendimus.

Die 24. Cùm Malacia deſiiſſet, vento Auſtro-Euro provecti, longiùs terram propter labimur, quæ maximam partem diſrupta, probè elevata, montibusque & collibus acutis diſtincta apparebat, quam eam ob cauſam *Spitsbergen*, ſeu *montes acutos* appellavimus.

Eodem vento acti ad 7. leucas proceſſimus, tuncque à loco iſto, ubi magis Occidentem verſus priùs anchoras firmaveramus, 10. aut 12. leucis nos diſtare animadvertimus.

Sub veſperam denuò naves terrâ propulimus ab angulo Septentri-orientali, ad Septentri-occidentalem ad 8. leucas progredientes.

Sub finem primæ vigiliæ nocturnæ, vento Auſtro-Zephyro aſpirante, ad Meridiem uſq; diei 8. leucas emenſi, poſtea cùm ad terram appropinquaremus, adverſo obſtante vento, duas leucas retrò cedere coacti ſumus.

Poſtquam igitur ponè promontorium quoddam, 18. orgyiis anchoras fundo ſabuloſo demiſiſſemus, viſi ſumus illic loci fluxum & refluxum maris animadvertere. Duodecim enim horarum ſpacio aquam cùm ex Auſtro-Euro tum Aquilo-Zephyro tanto impetu allabentem animadvertimus, ut anchorarum noſtrarum acies ſeſe mutuò ſub aquis contunderent.


Sinus iſte, in quo tum commorabamur, quamvis ventis ſit expoſitus, unà cum angulo interiori; nihilominus tamen in latere Auſtrali depreſſum quoddam promontorium habet, qui circum navigari poteſt, quem ſi quis à latere Septentrionali ſubeat, ibiq; anchoras figat, ab omni ventorum impetu eſt tutiſſimus. Noſtri homines duos ibi Roſmarorum dentes invenerunt, qua de cauſa ſinum iſtum, Dentium ſinum appellarunt. Nos ibidem reperimus quàm plurimùm fimi cervini, ut & lanam nonnullam, ovillæ non abſimilem. Ex oppoſito iſtius puncti ſeu promontorii Meridiem verſus, alius quidam anfractus, portus inſtar ſeſe offerebat.

Die 26. Afflante Aquilone vela fecimus, confectis intra meridiem & ortum 10. leucis. Circa meridiem appulimus intra cuſpidem quendam montoſum, & continentem, cuſpidem iſtum inſulam quandam eſſe rati; quem cum intraſſemus, paulò poſt profunditatem 12. aut 10. orgyiarum invenimus, fundo bono ac ſabuloſo: Ad duas leucas progreſſi, fundum petroſum 50. orgyiarum offendimus, terram verò totam nivibus coopertam. Quinque circiter leucas intra Cuſpidem & latus Continentis provecti, demùm cognovimus cuſpidem iſtum, quem inſulam eſſe eramus arbitrati, dorſo quodam ſabuloſo terræ alligatum. Profunditas enim quinque orgyiarum fuit. Quia verò brevia iſta glacie conſtiterant, velorum obliquatione facta nobis regrediendum fuit.

Cuſpis iſte, quem Inſulam eſſe exiſtimavimus. 79. gr. 5. min. latitudinis ſubjacet. Nos quòd volucres ibi quàm plurimas circum vagari cerneremus, illum Volucrium ſinum nuncupavimus.

27. die Cœlum adeò tranquillum erat, ut diu morando, hac illacque intra Volucrium ſinum, & terram fluctuando, parùm poſſemus curſum noſtrum promovere.

28. die ſinum iſtum circumvecti, longiùs terram præterlabimur, ad ſex leucas,



leucas,declinantes magis ad Australem plagam. Terra erat montibus acuminatis aspera,interim limpidissimo fluvio irrigua. Inde ad meridiem tendentes,6. leucas, mox velis versus occidentem obliquatis,3 leucas confecimus.

Deprehendimus altitudinem 78½. grad. jamque glaciei imminere visi sumus,quam ut evitaremus, nonnihil altum petendum rati in longitudinem intra glaciem & quàm proximè terram 7. leucas processimus.

Fortè tum ad amplum quendam sinum conveneramus, qui Occidentem brumalem versus porrigebatur. Terra autem ab utroque latere altis ac præruptis montibus erat formidabilis.

Navigavimus spirante Japyge usque ad vesperam, terram legentes versus Occidentem Australem,5. leucas.

Hîc alius sinus & quidem porrectissimus se nobis obtulit, quem glacie continua ad terram usque rigidum cernentes, mutato nonnihil Orientem versus cursu, Africo adjuti quatuor leucas emensi sumus. Denuò in glaciem impingentes versus Orientem Meridionalem vela direximus 3. leucis.

Die 29. Nos Aquilo à puppi prosequutus,5. leucas versus Occidentem Meridionalem propulit.

Inde littus raddendo versus Australem plagam 4. leucas progredimur. Altitudinem 76 gr. 50. min. dimensi sumus.

In altum provecti,nullam deinceps terram vidimus, donec tandem Calendis Julii Ursorum insula in conspectum nostrum eminus prodiret.

Cùm verò Johannes Cornelius,& Wilhelmus Bernardi dubiis inter se sententiis nutarent,quo in loco constituti essent, ac ille quidem se in plaga Occidentali à promontorio Septentrionali Norvegiæ versari existimaret, hic verò in plaga Orientali 250. leucis à puncto Glaciali Novæ Zemblæ sese abesse diceret: Johannes Cornelius,qui locum istum ultra 60. leucas dissitum non putabat, cùm intelligeret, satius videri Guilhelmo, terram aliquam cognitam detegere, quò rectiùs fretum Anianis possent reperire,cum sua navi à socio discessit. Ita tamen priùs inter ipsos convenerat,ut Cornelius versus Septentrionalem Orientis plagam vela faceret,Guilhelmus autem Occidentem versus contenderet. Sic igitur Johannes Cornelius Septentrionem versus directo cursu, post mirabilem ventorum & glaciei vicissitudinem, eodem in loco sese deprehendit,ubi prima vice anchoras excusserant,sub gr. 80. circa Volucrium promontorium,à quo postmodum animo ad Guilhelmum redeundi discessit.


Latus Orientale hujus terræ incognitæ hoc,quo dictum est,modo per Johannem Cornelium Ripensem,& Guilielmum Bernardi primùm innotuit: postea verò Henricus Hudson nomine Societatis Anglicæ sub Ann. 1608. idem iter est emensus. Hic Hudson (ut refert Jodocus Hundius in charta sua Planisphærica) versus Septentrionalem Orientem hujus regionis sub elevatione 81.& 82. grad. latus quoddam glacie planè obfirmatum deprehendit. Ab isto tempore qualibet æstate quosdam eò ablegarunt,qui Balænarum barbas,ut vocant communiter, inquirerent,& pinguedinem inde excoquerent. Quem quidem piscatum Societas Londinensis Russiam versus commercia sua dirigens, sibi soli attribuit & vendicavit,usque ad annum proximè elapsum 1612. quo Guilhelmus Muydanus,unica nave ab Amsterdamensibus,item altera nave à Serdamensibus instructus eò navigationem suscepit,ut in dicta Ursorum insula Rosmaros caperet. Præter hos,& Anglorum (de quibus jam non loquor) eodem anno ibidem navigium quoddam ex Biscaja appulit: qui homines,cùm in Balænis capiendis facilè omnibus Christiani nominis nationibus excellant,procul dubio non sine ingenti emolumento domum redierunt: nostri autem parum lucrati sunt.

Quæ etiam causa fuit, quod nostri Mercatores, hoc ipso anno duo iterùm navigia sub ductu ejusdem Guilhelmi Muydani expediverunt, & ut feliciùs rem facerent, duodecim Biscajos ex S. Johanne de Lus oriundos conduxerunt, tres nimirum balænarum invasores, tres lintrium in mari regendorum gnaros, reliquos qui oleum excoquerent, & balænas frustillatim conciderent. Eadem hac æstate ab Amsterdamensibus Celox quædam eodem emissa est, cui præerat M. Thomas Bonaert, secum ducens maximam partem suæ gentis Anglos, & aliquot Hollandos, eam tantùm ob causam, ut Rosmaris potiri possent. Præter recensita quinque navigia armarunt Dunquercani unum cum parva celoce, unum item Burdegalenses, ut & Ruppellani unum, tria incolæ ad S. Johannem de Lus, & præter ea aliquot Hispani ad S. Sebastianum. Cùm verò Londinenses mercatores in Russia negociantes intelligerent tot naves eò vela facturas, ipsi quoque sex navium probè instructarum classem Amirali seu Capitaneo Benjamini Joseph, qui Tigri nave 21. Tormentis majoribus munitâ vehebatur, commendant, ut reliquos navigatione & piscatu isto prohiberet, & totâ illâ ora depelleret. Quamvis autem rumor iste de Anglorum conatibus cùm apud nos, tum in Biscaja increbuisset, nihilominus tamen tam Biscaji, licet prætenderent se jussu Regis Hispaniæ in Indias Occidentales cursum suum direxisse, ut homines quosdam Limam versus deportarent, quàm Galli & nostrates versus regionem Spitsbergen, seu Grenlandiam, uti ab Anglis vocitatur, navigationem suam protendere non dubitarunt: quia verò à tormentis aliisque ad pugnam subeundam necessariis munitionibus parùm instructi erant, unus hac, alter illac in sinum seu portum aliquem sese proripere festinavit.

Ast ubi maximam partem ad terram naves nostræ appulissent, jamque cum suis piscatum exiissent, supervenientes Angli omnes unam post aliam ex istis regionibus profligarunt.


Priusquam ad earum rerum narrationem deveniam, portus regionis istius præcipuos breviter recensebo.

SITUS PRÆDICTÆ REGIONIS.



QUANTUM igitur nuperrimè de ista regione quam Spitsbergen vocitari diximus, cognoscere potuimus, id tabula quadam, ad calcem adjecta, expressimus, sequuti magna ex parte Anglorum consignationes, in Charta quadam à Johanne Daniele delineatas & descriptas Londini An. 1612.

Regio hæc, ut suprà dictum est, adjacet Ursorum insulæ, versus Septentrionalem Orientem, sub 81. & 76. gradu latitudinis, terminus ejus versus Austrum porrigitur, quem Angulum Angli, Lockhouto appellarunt, maximam tamen partem vergit in Septentrionalem Orientem usque aut supra Hornesond: inde autem excurrit versus Septentrionem usq; ad Australem angulum istius insulæ, quàm Angli Principis Caroli nomine insignierunt: Nostrates autem Kiin, ex nomine cujusdam nostri Mercatoris, qui anno præterito ex prærupto monte lapsus diem istic supremum clauserat, nuncuparunt. Huncque situm ex Pixide nostra ordinaria didicimus, quæ satis clarè ostendebat, quid propriè Septentrionalis Occidens appellari soleat. Solem enim quotidie in Australi Oriente habebamus, donec altitudinem suam assequeretur. Ut verò certiùs rem



rem omnem possent explorare, primùm altitudinem Solis, cùm in summo cardine verteretur, sunt dimensi. Cumque ipsis esset cognitus anni dies, didicerunt ex tabulis declinationum Solarium, altitudinem Æquatoris, & Poli desuper horizontem. Hoc facto in astrolabio catholico Solis altitudo super horizontem æquè versus Occidentem atque Orientem prospectabat. Mensurati Solem tali altitudine, facilè poterant perspicere, quanto intervallo Sol ab Occidente Compassi distaret. Hisce probè, opera cujusdam compassi, cujus filum exactè ad bolidem respondebat, exploratis, animadverterunt, in Portu bello, seu Schoonhaven, 16. gradus variationis versus Orientem Septentrionalem: Moto igitur eò usq; compasso, donec bolis quadrantium, quibus vulgò utimur, subsisteret in Occidente Septentrionali fili supra dicti: ventorum diversis turbinibus impediti, Septentrionalem magis versus Occidentem quærere coacti sunt, quòd Compassa, seu quadrantes, uti dictum est superiùs, nihil significarent.


Insula Kyn, cujus suprà mentionem fecimus, 10. circiter leucas longa est. Primum spectat Septentrionalem Orientem, usque ad meditullium regionis, ubi promontorium quoddam cernitur. Inde versus Septentrionem porrigitur usq; ad terminum quendam, quem Angli t Fayre Forland seu promontorium bellum appellarunt. Inde juxta longitudinem oræ procedendo cursus intra Septentrionalem Orientem & Occidentem dirigendus est, usq; dum elevationem 80. grad. assequaris, ubi primùm Guilhelmus Bernardi & Johan-Cornelius Rypensis regionem istam detexerunt.

Reperiuntur ibi quatuor majores sinus, quisque diversis portubus distinctus. Primum sinum appello istum tractum, qui inter Angulum Septentrionalem Insulæ Kyn, & Continentem interjacet. Hunc locum lustrandis militibus, reparandisque navibus destinarunt Angli, erectis tam in Insula, quàm in Continente variis tentoriis; qui quidem Ann. 1612. ibidem unius navigii jacturam fecerunt. Eundem hunc sinum subiere Guilhelmus Bernardi & Johannes Cornelius sperantes eum se transire aut circuire posse; verùm eum non satis profundum, imò glaciem fundo tenaciter adhærentem animadverterunt, quod etiam navis Duinquercana: est experta, sicut unus ex Pilotis ejus nobis retulit.

Secundus sinus est, Issond, aliter Grenharbor dictus, qui duos eximios portus habet, unum in latere Septentrionali, quem nostrates appellarunt, Behouden haven, seu portum tutum: alterum in latere Australi, qui propriè Grenharbor seu portus viridis appellatur. Hi duo portus quàm longissimè in Continentem vergunt, ut quàm firmissimè illi adhærescere existimentur. In medio portus, quem Tutum diximus, profunditas 200. cubitorum reperitur, in latere verò Occidentali bonus fundus 22. cubitorum sese offert. In portu Viridi latus Orientale ad 17. aut 18. cubitos trajicitur. Austrum versus ad 8. leucas progressi, alium sinum conspeximus, in quo portus Louwsond, & Belsond reperiuntur. Angulus Septentrionalis hujus sinus in charta Geographica appellatur Lovvsondnes: In latere cernuntur insulæ & rupes aliquot, quas quidem intrare licuisset, sed ut portus non usque adeò bonus est, sic quoque fundo bono destituitur. Lovvsond enim talis est statio, quæ longiùs in terram portenditur, ut insulam etiam quandam antè se efficiat.

Promontorium Australe hujus ampli sinus, Bellum, seu Pulchrum vocatur, cujus interiora paululum scrutati Hollandi, alium quendam portum repererunt, cui portus item belli nomen indiderunt.

In latere Occidentali hujus sinus aut portus profunditas 300. orgyiarum deprehensa est; in latere verò Orientali anchoræ fundo bono ad 30. orgyias excuti



poterant. Locus autem ad balænas cædendas commodiſſimus, quæ magno etiam numero ibidem reperiuntur.

Belſond etiam eſt canalis longius intra terram exporrectus. In latere ejus Septentrionali inſula cernitur, quæ utrinque adiri poteſt. In circuitu hujus inſulæ, terra anfractum quendam habet, ubi vaccæ marinæ, ſeu Roſmari, quorum magnus ibidem numerus, nullo negocio capiuntur. Noſtri hunc canalem ad 6. leucas ingreſſi, ibidem in recenti aqua magnum marinorum Canum numerum conſpexerunt.

Biſcaji ex S. Johan de Lus ſinum Belſond appellarunt, ſinum Gallorum, quòd illi plerumque ibi congregari ſolerent, ac uſitatum ſit, regiones denominari ab iis, qui primi illas retexerint.

Sinus, quem noſtri navigarunt, magis ad Auſtrum vergens, eſt Hornſond, ita ab Anglis nuncupatus, quòd (ut perhibent) cornu Monocerotis ibi repererint. Portus ſanè perquàm eſt commodus, ab utroque latere quàm longiſſimè in terram ſeſe exonerans.

In hiſce ſinubus, totaque ora fluxus & refluxus maris, quemadmodum reliquis Septentrionalis Oceani locis animadvertitur. Refluxus ab Auſtro exoritur. Sole enim in plaga inter Auſtrum & Orientem media conſtituto, mare plenum in Belſond cernitur; ubi verò Sol inter Septentrionem ac Orientem conſpicitur, in portu Tuto mare integrum ac plenum eſt. Atque ita 9. horarum intervallo tardiùs æſtus maris in portu Tuto, quàm in Belſond inſurgit, cum tamen iſta loca non ultra viginti milliaria Germanica à ſe invicem diſtent.

NATURA LOCI.

QUOD naturam loci attinet, principio conſiderandum, ſub qua regione cœli ſitus, & quomodo à ſideribus cœleſtibus illuminetur.

Situs eſt ſub Zona frigida, quam priſci authores non abſque veriſimili ratione planè inhabitabilem exiſtimarunt, videlicet ob nimiam frigoris vim, cui hic locus præ aliis eſt obnoxius. Quamvis enim nulla ſit regio, quæ noctium minùs, aut obſcuritatis cœleſtis habeat; (quippe Sol tempore æſtivo, poſt diem longiſſimum, quem centies ac ſeptuagies viginti quatuor horarum in ſinu Anglorum efficit; tam parum ſub Horizontem deſcendit, ut toto ſemeſtri ſpacio, eoque æſtivo nunqnam in cœlo lumen ejus deſideretur: ac licet hyberno tempore per dimidium annum, ubi Sol ad Auſtrum declinat, duobus menſibus dies duabus horis non ſint longiores: imò ubi Sol tranſit Scorpium, Sagittarium, Capricornum, Aquarium, vix unicam horam dies excedat, noctes autem ſint longiſſimæ, quòd tum temporis in imo Horizontis loco 12½ grad. verſus Auſtrum Sol verſetur: nihilominus Auſtrale cœlum colluſtrat. Nam ex Ptolomæi aliorumque ſententia: Diem jam albicantem cernimus, quamvis Sol 18. gradibus Horizonte noſtro ſit inferior.) Illud tamen certum manet, nullam eſſe regionem ex omnibus iis, quæ Septentrionem verſus lineæ Æquinoctiali ſubjacent, quæ minus caloris, aut breviores æſtates habeat. Nam hoc ipſo anno ſub decimum tertium Junii diem tantæ molis glacies littora atque oſtia portuum inſederat, ut navibus eam perrumpere haud poſſemus, atque ita portuum aditu intercluderemur: nix autem, quæ nonnullis in locis eſt perpetua, in tam paucis lo-

cis lo-

cis locis erat liquefacta, ut capreoli aut cervi ob alimoniæ inopiam, baculis essent macilentiores. Causa tam longæ hyemis, ac diuturni frigoris hæc est: Sol ab Æquinoctio in Australi plaga assecutus 11½. grad. altitudinis usque ad 10. vel 12. Junii diem non ascendit ultra 33. gr. 40. min. desuper Horizontem: hinc radii ejus, quos obliquè admodum jaculatur, planitiem adeò difficulter calefaciunt, ut nimbi & vapores ex terra exhalantes dispelli nequeant, sed tanta mole montibus & mari incumbant, ut nautæ ad navis unius intervallum sese mutuo contueri nequeant. Hinc fit, quòd regio ista (quæ hactenus quidem tantùm quoad oram maritimam perlustrari potuit, ubi tantummodò præalti montes nivibus obsiti cum pratis aliquot conspiciuntur) quòd, inquam, nullas arbores, truncos aut frutices alat, nec ulla viredo appareat, nisi fortè ex musco spisso & curto, qui non absimilis illi, quem in plurimis Norvvegiæ locis cernimus, cùm colore sit subrufus, flosculos tamen protrudit cœruleos. Quidam verò nautæ etiam asserunt, sese illic herbas quasdam virides vidisse. Quod autem ligna attinet, quę in littore reperiuntur, sciri non potest, quoniam autem æstus maris ab Austro insurgit, probabile est ex Norvvegia eò loci esse vi fluctuum delata.

DE ANIMALIBUS.



INTER Animalia, quæ isticloci reperiuntur, primum locum obtinent Ursi candidi, qui bobus multò grandiores mari sese committere non verentur. Præterea videas ibi cervos aut capreolos, similes illis, quos Russia & Samogithia prope Novam Zemblam profert. Hi ex musco vivunt, de quo paulò antè diximus. Cornua habent glabra, & nostratibus cervis paulò sunt minores. Menstruo illo spacio, quo nos cum navigiis nostris ad illam oram substitimus, adeò pingues evaserant, ut cibum nobis præberent maximè delicatum. Capreoli isti consortii humani planè erant insueti, parumque adeò curabant, quis adveniret, ut cùm quidam ex nostris cervum globo bombardæ trajecturus esset, id animal sentiens, inimico animo, tantoq; impetu in illum insurrexit, ut ad terram illum prosterneret.

Ex minoribus animalculis nulla vidimus, nisi vulpes candidas, leucophæatas, nonnullas etiam nigras.

Et hæc sunt animalia, quæ nos in illa regione vidimus, quamvis Angli referant in Hornesond, cornu Monocerotis sese reperisse. Nos quod de eo dicamus, aliud non habemus, quàm per homines ejus rei peritos revera cognitum, illa vera monocerotis esse cornua, quorum unum per nautam quendam nostrum in hasce regiones est delatum. Certò autem sciri non potest, quorum animalium illa fuerint. Dixerimus potius piscium esse reliquias ad ostia portuum, vi fluctuum expulsas.

Ad ostia horum portuum immanes balænæ varii generis reperiuntur: quarum pleræque 80. pedum longitudinem excedunt, adeò pingues, ut adeps inde detractus penè totus in oleum, seu ichthiocollam resolvi possit. Est ibi quoddam Balænarum genus, quales plerumque ibi reperias, quæ pinnas in dorso nullas habent, unde à reliquis facilè dignosci possunt. Hæ intra os longas & grandes barbas alunt, limis similes, ac grandiores quidem balænæ eas ad cubiti unius atque alterius longitudinem promittunt: harum in uniuscuiusque Balænæ proboscide vel

600.



600. reperias, quæ inſtar ſtrobyli ſuperiùs ex ore propendent. Eodem, quo reliqui piſces, ſuos quoque dentes habent loco, niſi quòd in ſuperiore tantùm parte promineant, ac anteriores, ut & poſteriores admodum ſint exiles, uſque adeò ut niſi 400. conjunctos habeas, nullum in mercatura inveniant locum: Hæcque adeò optima, ac quæſtuoſiſſima eſt negociatio, quæ ex hiſce regionibus peti poteſt. Dictæ Balænæ in latere prope caput prægrandes habent pinnas, quibus piſcatores uncum ſolent impingere, quòd eo loco vulnus magis ad vivum penetret: quod quam primum bellua ſenſerit, ſanguiſque ejus caput invaſerit, tantò impetu aquam ſanguini miſtam per narium foramina, quæ in ſuperiore capitis parte patent, exufflat, ut mali nauticæ apicem tranſcendat. Poſtquam autem impetu fundum verſus facto, natando ſe ipſam fatigaverit, piſcatores ſcaphis appropinquantes, jaculis eam in ſuperiore corporis parte trajiciunt, quòd alioquin difficulter trucidari poſſet.

Piſces hujus regionis cutim habent ſpiſſam & nigram, alia quadam tenera, pellucida & nigra obductam. Cibus harum balænarum ſunt minuti piſciculi, capellis longè minores, quos ore inter natandum patulo comprehenſos, poſteà compreſſa proboſcide deglutiunt.

Præter Balænas iſtas nigras, etiam albæ reperiuntur, quæ tamen haud quaquam bonæ exiſtimantur. Quædam etiam imperatorio, aut cucullato habitu monſtroſos piſces ibidem invenimus.

Aves marinas alit iſta regio quàm plurimas, præſertim milvios aquaticos, qui magno numero Balęnarum cadaveribus inſident, mergos duorum generum, pſittacos, item aves roſtro rubro, quales etiam in Nova Zembla obſervavit Guilhelmus Bernhardi; item anſerculos, aveſque alias, quæ ova prægrandia excludunt magna copia: ut & Anſeres rubros, quos in Scotiæ arboribus naſci, hactenus creditum fuit.

In locis interioribus reperiuntur Equi marini, ut eos vocant Angli, ſeu Vaccæ marinæ, ut Galli appellant, nos eos rectiùs Elephantos marinos dixerimus, quòd & mole corporis, & dentium robore maximè hujus animalis formam exprimant. Ruſſi, quibus eorum natura exactiùs eſt cognita, cùm magna copia in Petzoræ regione conſpiciantur, eos Morſen vocant. Nos illos hactenus Walruſſos appellavimus, eorum figurâ additâ, qua juniorem quendam, qui ad nos delatus fuit, ad vivum expreſſimus.

Satis ſunt pingues, ut facilè adeps ex iis excoqui poſſit, ſed pellis eorum, licet immanem in morem ſpiſſa & craſſa ſit (unam enim 400. libras hîc vidi pendere) exigui tamen eſt precii, quòd crebris veſiculis eſt deformis. Eo majoris æſtimantur dentes, qui ebori etiam præferuntur. Hæc animalia ſi unum ex ſuo numero trucidatum videant, magno numero ſuper eorum cadavera advolvuntur, donec putredine & fœtore rurſum abigantur.

Atque hæc quidem de aqua ſalſa cognovimus. Paulò verò altiùs in recenti aqua prope portum, Belſond, noſtri homines etiam canes marinos, togis noſtris non abſimiles invenerunt.

Hactenus, quæ de regionis iſtius animalibus cognoſcere licuit, expoſuimus, nunc quid præterita æſtate, tam inter noſtros, quàm Gallos & Anglos evenerit, breviter quoque perſtringemus.

Primus, qui ad oram iſtam appulit, fuit Guilhelmus Muydanus: Is enim cum ſuis duabus navibus quàm proximè ad promontorium Auſtrale Anglis Locqhoute dictum 27. Maji die appropinquavit. Sed nullo modo ad terram poterat pertingere, glacie, quæ totam illam oram occupaverat, præpeditus. Itaque curſu Septentrionem verſus directo, primo demum Junii ad Inſulan Kyn appulit. 2. Junii Navar-



varchus cum duabus scaphis terram versus vela faciens, ad terminum Australem Insulæ balænam mortuam invenit. 4. Junii alium adhuc piscem prægrandem, qui infra Insulam eundo, redeundo continuò vagabatur, quòd portus glacie adhuc pleni rigerent, conspexerunt.

8. Junii navem Burdegalensem è longinquo viderunt, cui nauclerus erat M. Sillyus.


9. Junii Dunquercana navis cum celoce sua ad Australe insulæ promontorium appulit. Postquam autem quàm proximè alteram Muydani navem, Mossel dictam, in Septentrionali insulæ ora consedissent, existimavimus quidem illos, qui in Dunquercana navi erant, portum exploraturos, ideoque propiùs terram relegentes inter Insulam & terram firmam vela facturos; sed illi mutato cursu cùm aliquandiu circa istam regionem morati essent, 12. & 13. Junii in Grenharbor portum contenderunt.

Muydanus 13. Junii in Portu Tuto, seu Behoudē haven anchoras jecit, cùm paulò antè scaphas suas ad Balænam illam versus promontorium insulę Septētrionale emisisset. Hi Anglos cùm suis scaphis jam advectos, Barbas isti balænæ præcidere deprehenderunt; ab iisque intellexerunt, cymbam Dunquercanam interceptam esse, quòd prætendissent, Balænam istam à nostratibus primùm fuisse animadversam. Captivos autem in naves Anglorum distributos, & versus promontorium Septentrionale in Anglorum sinum abductos. Nostræ verò scaphæ ad littus iterùm applicantes, adverterunt, Anglos consilium de omnibus peregrinis navibus intercipiendis inivisse.

Posteaquam enim Angli certas piscandi leges condidissent, ex promontorio Bello, in quo hac præterita ęstate etiamnum substiterant, egressi, ad portum Grinharbor appulerunt, navemque Dunquercanam cum parvo quodam Biscayorum navigio inde depulerunt. Quiquidem Biscaji id quàm ægerrimè ferentes, jurarunt, quàm primùm domum rediissent, se damnum istud magno cum suo lucro ex Anglorum bonis emendaturos. Postera die Admiralis vela faciens versus oram Canalis Septentrionalem, ad portum Tutum seu securum, invenit in eò Muydanum cum suis duabus navibus, Mr. Sellyum Burdegalensem, & aliam quandam Rupellensem: exiguum item navigium ex S. Johanne de Lus. Præfecti navium sese ad Admiralem devehendos curarunt, exiguum verò illud navigium ex S. Johanne de Lusz, domum remiserunt. Sellyus referebat, se ab Admirali impetrasse, ut octo quidem Balænas, Anglis dependeret, quod reliquum, id suo cederet lucro. Verùm cùm ultra dictum numerum quatuor cepisset, easque sibi cessuras omnino existimasset, Angli non solùm eas omnes, sed & peritissimos nautas secum abstulerunt, illo insuper ex tota regione pulso.

Muydanus exhibebat Admirali Potentissimi Principis MAURICII diploma, quo ipsi libertas piscandi summa, seseque contra hostes, qui id impedire vellent, defendendi concedebatur. Admiralis illud legit, exosculatus est, atque legitimum agnovit: Verùm sibi longè Potentioris Regis mandato obtemperandum dixit, qui singulari privilegio sibi suisque Principalibus caverit, ut omnes illas regiones etiamnum cognitas ac deinceps retegendas, quæ quidem una linea venti Septentrio-Euri, & altera Aquilo-Zephyri comprehensæ, hinc inde inter Drontam & Islandiam dispergerentur suæ Majestatis nomine & bono possideret. Proinde nequaquā concedere voluit Muydano, ut illo vel alio in loco istius tractus piscatui operam daret, imò quicquid hactenus ceperat, id omne isto titulo sibi vindicavit, sicque 19. Junii duas illas Muydani naves, ut & Hornanam illam, quæ nomine Johannis Macquii Rupellani eò venerat, à se dimisit. Galli isti se sua cum navi vela versus Septentrionale Norvvegiæ promontorium facturos dicebant, quòd balæ-

H na-



fuarum abundè ibi se capturos sperarent. Muydanus autem, licet Admiralis nullo in loco piscandi potestatem illi faceret, imo omni modo illum prohiberet, nihilominus versus Belsond navigavit, quo 20. Junii pervenit, stationem in later Seeptētrionali, loco quidem non satis commodo, sibi deligens. 23. die Navigium Serdamense, in latere Australi portum satis idoneum subiisse comperit. Itaque sinu quodam, tres circiter leucas amplo transmisso, 24. Junii ad exiguum quendam portum in Bello promontorio appulit, quem rebus suis, in primis piscatui accommodissimum deprehendit.

Serdamensi in nave, qui erant, ad interiora magis progressi, una die 200. Rosmaros, seu vaccas marinas trucidarunt, & (metu Anglorum) alterum ex suis navigiis adipe Rosmarorum in vasa compacto probè onustum domum remiserunt.


26. Junii eodem in portu, quem Muydanus portum pulchrum appellavit, appulit magna navis ex Sanct. Johan. de Lus. Hanc G. Muydanus piscatu prohibere voluit, tandem inter ipsos convenit, ut conjunctis operis piscarentur, omnesque alios, eò fortè an venturos, piscatu intercluderent, locoque isto depellerent. Quod etiam 11. Julii quibusdam Bisgaiensis navigii cymbis accidit: Illas enim coacti ex promontorio Bello depulerunt, quòd cymbæ istæ rectà in portum ipsorum inveherentur.

Paulò post aliud quoddam parvum navigium ex Sancto Johanne de Lus advenit, quod tamen ad classem seu societatem Mr. Tourbidæ non pertinebat, cui itidem piscatu omni interdixerunt. Tandem venerunt Angli, ut piscatores cum omni præda & lucro interciperent. His cymba, Navigio Mr. Tourbidæ addita, statim obviam processit, ac certas pacta conditiones sese tradidit, ut nimirum Galli adipem pro Anglis liquarent, ipsi verò mercedis loco dimidiam partem sibi retinerent. Placuit Anglis conditio, quod scirent Gallos præ cæteris nationibus, quam rectissimè, & citissimè magnam adipis copiam excoquere posse. Interim branchas seu barbas, quæ ex proboscide balænarum prominent, Angli sibi solis vendicabant. Parvum illud navigium Gallicum, quod piscatu prohibuisse Muydanum diximus, hisce conditionibus cum Anglis pepigit: 40. lastas Adipis sese pro Anglis liquaturos, dummodo, quod super foret, suis usibus retinere possent: sed hoc ratum non fuit: statim enim 21. Julii die sentētiam mutavit & revocavit Admiralis.

22. die Admiralis alterum Muydani navigium, cui Mr. Mossel præerat, exoneravit, 24. die, eidem, ut domum rediret, edixit, quod & 25. factum est. Muydanus verò usque ad 28. diem fuit detentus, ne quem forte impetum conjuncti in Piscatores Anglos facerent.

Paulò autem antè, quàm negocia hæc sua in promontorio Bello expediret Admiralis, versus Hornesond vela fecerat, cumq; jam in conspectum Hornesond venisset, obviam habuit Dunquercanam navem, de qua antea diximus, quòd ex sinu Grenharbor 16. Jun. ejecta fuerit. Ea hactenus circa Australe promontorium hæserat, cùm verò parum se ibi lucri facere posse adverteret, versus Septentrionem iter relegere constituit, supra 82. & 83 grad. ut isticloci fortunam suam periclitaretur. Dunquercani ut Anglicas naves plenis velis in alto ferri viderunt, confestim ad illas appropinquarunt, rogantes Admiralem, restitueret ipsis Celocem paulò antè, uti diximus ad longam Insulam ipsis interversam.

Admiralis amicè illos excipiens, postulatis ipsorum obsequuturum se promisit; nihilominus sinum, qui ob oculos ipsis erat, una cùm ipso subire coacti sunt. Unà igitur omnes Sinū Hornesond intrarunt, in quo tres naves Hispanicas, Mr. Thomam Bonardum cùm Enckhuysana sua nave, item Gallicum quoddam navigium offenderunt: qui conjunctim eò delati communi labore & periculo pisca-



navigium offenderunt: qui conjunctim eò delati communi labore & periculo piscari, & prædam æqualiter inter se dispertiri decreverāt. Biscajis statim edictum, sisterent ac traderēt sese Admirali: verùm Bonardus veritus ne Angli, quos magno numero sua in navi habebat, captivi detinerentur, fuga se subducere molitus est. Admiralis hoc animadvertens eum novem tormentorum ictibus insecutus est, quorum duo rectà navem Bonardi penetrarunt: qui nihilominus ex manibus ejus evasisset: verùm ubi pila tormentaria clavum navis confregisset, ut eam vento commodè obvertere non possent, veriti etiam in glaciem vel terram prolaberentur, vela submittere sunt coacti. Itaque Admiralis Bonardum cum omni sua gente cymbâ ad se devehendum curavit, aliosque Anglos in navem ejus deduxit: Quibus novis instructus Mossellus domum repetiit.

Capto hunc in modum Bonardo, & profligatis Hispanis: Admiralis sinus istius defendendi curam Dunquercanis commisit, ipse versus Bellond vela direxit; ubi etiam, ut paulò ante diximus, satis acriter & strenuè rem gessit.

Dunquercani autem, cùm in Australi istius sinus latere versarentur, aliquot ex ipsorum numero quindecim, consilium adversum ipsos inierunt, & de apprehendenda quadam Anglorum cymba inter se conjurarunt. Venerat ea ad Septentrionalem sinus oram, inquisitum res preciosas, siquidem Monocerotis cornu ibi repertum inaudierat, unde suum quoque sinus iste nomen sortitus est. Verùm eadem illa nocte, quam expeditioni suæ destinarant, accidit, ut prægrandis balæna quàm proximè navigium ipsorum præternataret, itaque Navarchus cùm Nauclero quosdam in scapha eam persecutum ablegarunt. Hi nautæ interim navigio potiti, minis promissisque Nauclerum adegerunt, omnem ipsi supellectilem salvam spondentes, ut in Norwegiam ipsos deduceret. Quod ita quidem factum est. Dum verò illi parvam celocem quàm interceperāt, sed quæ iterum ipsorum è manibus sese extricaverat, insequuntur, Navarchus & Nauclerus iterum dominium in navi recuperant, & rebelles istos, qui parvam quandam celocem Roterodamēsem prope Gesquam interverterant, ad Sudestadium captos, magistratui Dunquercano tradiderunt, à quibus merito supplicio sunt affecti.

Ut verò ad Admiralem redeamus, qui hactenus Muydanum apud se detinuerat, ut aliquo modo ejus animum ob ereptas sibi 18½. balænas placaret, 20. adipis Pipas, & 21. Balænarum barbas illi obtulit, sicq; in patriam liberum dimisit. Navigium Serdamense diutiùs ad servitia subeunda retinuit, quippe quod hac illacq; commeabat, ligna inquirebat, adipem in promontorium ad reliquas Anglorum naves deferebat. Huic tandem aliqua etiam copia adipis salarii loco donata, & in patriam redeundi potestas concessa fuit.

Quid de magna nave Gallica gestum sit, quidq; de Enchuysana, quam Londinum secum abduxit, decreverit, nobis hactenus nondum innotuit.

Muydanus ad reditum sese accingens, necdum quieto animo esse poterat. Sed postridie, qui erat vigesimus nonus Julii, posteaquam ab Admirali discessisset, majorem suam scapham terram versus amandavit, ipse verò ac si in procinctu staret, omnia ad abitum adornavit. Secundo Augusti die aliam adhuc scapham, quæ priorem inquireret, emisit: Hæ quarto Augusti reversæ 400. Barbas ad navem detulerunt. Eædem Scaphæ sub vesperam denuò vela terram versus fecerunt, ut adipe istius balænæ, quam ceperant, quoque fruerentur. Muydanus cùm ad nonum Augusti ibi hinc inde commeando hæsisset, cùm diutiùs ob ventorum intemperiem moras nectere non liceret, domum rediit. Scaphæ autem, cùm ob nebulas ac nymbos navigium suum dignoscere haudquaquam possent, in Anglos inciderunt, cùm quibus Londinum primò, deinde in patriam regressi sunt.



Hæc ſunt, quæ de infelici atque infortunato ſuo itinere nautæ noſtrates retulerunt, unde hoc anno incredibilis opum ac divitiarum vis Anglis, in primis ſocietati Rufficæ, accrevit.

Angli verò iſta omnia perpetrarunt, Regis ſui privilegiis præfiſi. Articuli, quiqus jus ſeu præeminentiam ſuam probare conantur, hi ſunt: Quòd nimirum primi duce Willougbio Equite iſtam regionem detexerint; quòd ſit Groenlandia, quæ hactenus regno Norwegiæ fuerit ſubdita, unde etiamnum quotannis Regiæ ejus Majeſtati bonam adipis ſummam dependant.


Contra hos articulos doctiſſimus Coſmographus D. Petrus Plancius ſequentem in modum poteſtatur.

SOLIDA REFUTATIO

PROPOSITIONUM ET PRÆTENSIONUM ANGLICARUM, QUIBUS freti ſummum piſcandi jus in Inſula Spitsberghen, ſeu terra nova hactenus ſibi vendicarunt.

QUICUNQUE aliqua ſaltem navigationum Anglicarum notitiâ imbuti ſunt, probè norunt, quàm ſiniſtra mente illi hactenus aſſerere auſi ſint, Sr. Hugonem Willoughby, Equitem & trium navium Bonæ Spei, Eduardi Bonaventuræ, & Bonæ Fiduciæ Capitaneum, Regis Edoardi Sexti anno ſeptimo, Chriſti verò anno 1553. magnam illam Inſulam Spitsberghen detexiſſe & inveniſſe. Propria enim illorum navigationis iſtius deſcriptio contrarium teſtatur. Quòd nimirum 10. Maji, Ann. 1553. Ratclifiâ Angliæ ſolverit, eo animo, ut curſu Septentrionem verſus directo, quaſdam Cathaiæ regiones indagaret, ubi in Norvvegia ad inſulam Seinam appuliſſet, 30. Julii, ex iſto quoque loco diſceſſerit. 14. autem Auguſti ſummo mane cum duabus navibus regionem quandam retexerit, à dicta Inſula Seinam inter Occidentem & Septentrionem 160. leucis Anglicis, ſeu 120 milliaribus Germanicis diſſitam, ſub gradu elevationis 72. Quæ verò prædictus Eques ore retulit, ea propriâ quoque manu anglico idiomate ſcripta reliquit: quorum hic eſt ſenſus.

Die 14. ſummo mane vidimus regionem aliquam, quam totam perluſtravimus, miſsâ eò cymbâ, ut ſitum loci planiùs cognoſceret, verùm ea ad terram pertingere non potuit, quòd aqua minimè profunda eſſet, & glacie loca pleraque obriguiſſent. Ab hominibus illam habitari nullo indicio cognitum. Sita eſt 160. leucis



cis Anglicis ab Insula Seinam, sub elevationis gradu 72. Itaque Septentrionem versus 15. 16. & 17. die vela direximus.

Quæ verò inter regionem à Seinam 120. milliaribus Germanicis, inter Occidentem & Septentrionem sub elevatione poli grad. 72. dissitam & magnam amplamque insulam Spitsberghen institui possit comparatio? Cùm hæc à Seinam versus Septentri-Orientem sita sit, à 78. altitudinis grad. ad 82 & ultra, cùm hactenus nondum cognitum sit, quousque sese versùs Septentrionem extendat. Certè majus inter Willougbii insulam & Spitsberghen reperitur intervallum, quàm inter Angliam & inferioris Belgii provincias. Quare hæc Anglorum prætensio nullo nititur fundamento.

An verò, locum aut regionem aliquam vidisse sufficit, ut quis proprius ac perpetuus ejus possessor ac dominus constituatur? Illud est verissimum, nostros nautas isto in loco, videlicet sub 72. gradu nullas insulas observasse. Verùm cùm dictus Eques, ut ex diario Anglico apparet, nullo respectu ad gnomonem nauticum habito, Septentrionalem Occidentem & Orientem dimensus sit, accidit, ut magis ad Septentrionem velis factis declinaverit, quàm ipse quidem putaret. Ut facilè inde appareat, quas ille detexerit & repererit, Insulas octo illas minores fuisse, quæ sub 73. gradu quàm proximè invicem dispersæ jacent, & à nostris nautis Insulæ Willebordi nuncupantur. Circa quam regionem, sive longitudinem, sive latitudinem consideres, Willougbii insula in mappis cernitur, quas Angli in usum societatis Muscoviticæ, & navium versus Spitsberghen vela facientium confecere. Adeò propriæ ipsorum marinæ mappæ ipsis evidenter contradicunt.

Scribunt Angli prædictum Equitem hybernasse in Lapponia ad fluvium Warsina, ibique cum omni suo populo frigore enectum obriguisse, tertiam verò navem cùm suo Capitaneo Richardo Chancelero ulteriùs ad mare Candidum perrexisse.


Hinc verò adeò evidenter evincitur, ut nemo ausit contradicere, Insulam Spitsberghen omnibus hominibus incognitam fuisse, donec ab Amirali Jacobo Henrici Hemskerchio, Guilielmo Bernardi, & Jano Cornelio Ripensi, qui, sumptu Dominorum Ambsterdamensium, duas eò naves deduxerunt, 19. Junii, Anno 1596. primum inventa retegeretur.

Omnibus verò recta ratione præditis constat, quàm malè insula Spitsbergen ab Anglis appelletur Terra viridis, seu Groenlandia, quum inter hasce duas regiones majus intervallum, quàm inter Norwegiam & Scotiam, quas ingens Oceanus disterminat, reperiatur.


Quod alteram Anglorum propositionem attinet: Omnes insulas versùs Septentrionem sitas, tam inventas hactenus, quàm deinceps retegendas Regi ipsorum esse subjectas: Frivola illa est, nec responsione digna. Præsertim ea, quæ de insula Spitsbergen id ausit affirmare, cùm illa insula, sive limites, sive situm ejus respicias, Angliam neque attingat, neque ulla ratione ad eam appropinquet, imò neq; ab Anglis primùm reperta sit. Cur enim nõ eodem jure Regi suo Insulas Heronis, Islandiæ, Frisiæ vendicarent? Cur verò Groenlandiam? Illæ enim multò propiùs regno magnæ Britanniæ adjacent, quàm hæc. Ut jam nihil dicamus, num æquum sit, quamlibet continentem terram, aut insulam, uni personæ vendicari; navigatio certè & piscatio marina secundùm jura universalia omnium gentium, omnibus hominibus communiter & liberrimè permissa est. Quâ intentione neque Reges Franciæ, neque eorum subditi ulli hominum piscandi potestatem in nova Francia, aut Terra nova denegarunt; quamvis summo jure primos se jactare possint, qui regiones istas invenerint, Anno 1504. His rationibus adducti, spe fruimur optimâ, fore, ut Serenissimus Magnæ Britanniæ Rex (qui & Deum ex animo reveretur, & fi-

delis justitiæ patronus summo jure & merito existimatur) expressè suis subditis injungat ac demandet, ne deinceps suo præjudicio nostros nautas gravent, aut ullum illis damnum aut impedimentum inferant: sed potius, ut æquum, illatas hactenus injurias & damna in solidum restituant ac compensent. Qua quidem in re singularis ipsius æquitatis effectus magis ac magis elucescet.

FINIS.



Sequuntur



SEQVVNTVR

VERÆ ET GENUINÆ RERUM PRÆCIPUARUM, QUARUM IN AMERICI VESPUTII VERSUS INDIAM ORIENTALEM navigationibus, ut & reliquis duabus in Cambajam & Spitzbergam expeditionibus fit mentio, repræsentationes, ad XI. Indiæ Orientalis partem referendæ

ADDITÆ SVNT BREVES ET UNIVS CUIUSQUE figuræ descriptiones.

Nunc primùm eleganter in æs incisæ & in lucem editæ.

Studio & operâ

JOHANN-THEODORI de BRY Civis ac Bibliopolæ Oppenheimensis.



OPPENHEIMII
Typis HIERONYMI GALLERI.
ANNO
M DC XIX.



I.

Quid Americo Veſputio, ejúſque comitibus, in India orientali inter Barbaros evenerit.



AMericus Veſputius ad quandam Indiæ Orientalis inſulam delatus, omni ope familiaritatem cum nudis incolis contrahere conatus eſt: cùm verò planè agreſtes, nulla ratione ad humaniorem mentem inflecti poſſent, naves rurſum conſcendit, relictis in littore nolis, ſpeculis, aliisq́; id genus crepundiis, ad quæ contemplanda ſtatim mulierum barbararum confluxit agmen. Interea Veſputius venuſta facie adoleſcentem, qui iſti mulierum turbæ ſeſe immiſceret, ablegat. Hunc fœminæ undique prenſantes, habitum ejus non parùm miratæ, circumſiſtunt. Tandem una à tergo accedens fuſtem tanta vi capiti Adoleſcentis impingit, ut mortuus in terram corrueret: ſtatim reliquæ eum in collem vicinum protrahunt, veſtibus exutum mactant, torrent, atque in Luſitanorum conſpectu vorant. Viri verò magno impetu Luſitanos invadunt, qui metu exterriti, armorum planè immemores, fugam capeſſunt, cúmque minori ſcaphâ, quæ ſabulo adhæſerat, tam ſubitò ad majorem navem ſe recipere non poſſent, non parùm à Barbaris iſtis damni acceperunt: donec periculo in majoribus navibus cognito, quatuor tormenta, abſque ullo tamen damno, in Barbaros evibrarent; quorum fragore & crepitu attoniti in fugam ſeſe conjecerunt.

 Quomo-



II.

Quomodo Robertus Caverta Capitaneus Anglus à Rege Gomoræ exceptus fuerit. cap 3. & 5.



Posteaquam Robertus Caverta Capitaneus Anglus ad insulam Gomoram navi appulisset, cum Nauclero, Commissario, ac tubicinum choro in terram exscensione facta, in littore ab interprete Regis quàm humanissimè exceptus, ac ad ipsum Regem qui tum temporis in area palatio vicina versabatur, deductus est; Capitaneus regi vicinior factus, debitos honores summa cum reverentia obtulit. Regem octo satellites, præacutis cultris pedem longis latísque instar securium, comitabantur. Discalceati erant omnes, excepto Rege, qui calceos indutus caput mitra reticuli in modum texta, ventrem supparo lineo, humeros alio quodam amiculo, quod ad pedes usque demittebatur, velaverat. Rebus hoc in loco confectis, Angli ad Pembam insulam, Malabaræ regis, Lusitanorum socii, imperio subditam, perrexerunt, ubi dum Capitaneus cum quibusdam aliis prandium in littore capiunt incolæ re eum Lusitanis, qui ibidem quadam in domo congregati erant, deliberata, proditionem adversum Anglos moliti sunt.




III.

Quomodo Pembæ incolæ Anglos aliquot nefariè trucidarint, híque iſtam injuriam ulti ſint. cap. 6.



Itaque, ut proditio iſta ſuccederet rectiùs, dicti regis frater Nigro cuidam ut nuces Indicas pro Generali cogeret demandat: interim magna Barbarorum probè armatorum convenerat manus qui ſigno duobus cornibus dato noſtros aquatum profectos, ad montem quendam alacriter aggreſſi, duos ex iis ſternunt, plures mactaturi, niſi Angli in foſſis quibuſdam latitantes, muſquettis ſuis aliquot ex Barbaris vulneraſſent, atque ita vim à reliquis depuliſſent. Poſtmodò Angli in terram egreſſi, cæſos in navim deportatos in alia quadam inſula tumularunt. Ut *verò injuriam iſtam ulciſcerentur Angli, direptis tribus incolarum naviculis, 40. Barbaros, inq; iis 8. albos comprehenderunt, quos cùm Luſitanos eſſe arbitrarentur; illi id conſtanter pernegarunt, monſtratis in tergo characteribus, qui in Luſitanis minimè conſpicerentur. Interim Anglorum arma diligenter obſervabāt Barbari novam jam proditionem animo volventes. Cùm enim Nauarchus, Barbarorum nautam ad ſe vocaret, is cultro in ventrem ei adacto, editóque clamore reliquis, ut viriliter Anglis reſiſterent ſignum dedit. Verùm à Generali reliquisq; Anglis ſtatim oppreſſi ſunt, quadraginta cæſis, paucis in mare deſilientibus ac mira natandi celeritate in terram ev..dentibus.*

Bannia-


JCB

IV.

Bannianorum idololatrica ſuperſtitio.cap,13.



ANgli etiam ad Bannianorum gentem fortiſſimam pervenerunt. Hi Deum ſuperſtitioſis venerantur ritibus, Lapideis enim imaginibus ſupparos ſuos appendunt, poſtea capitibus ad ſolem converſi, eum adorant, omnes ſuas fortunas Soli acceptas referentes. Quin vaccam etiam etiam auro gemmíſque inſigniunt, caput ejus corollis, floribúſque omnis generis exornantes. Hanc ad ſepulchrorum ſuorum locum magna ſolennitate deducunt: poſtea, habita concione aliqua, illi pedes atque ungulas deoſculantur, ac ſummos honores exhibent. Cauſam tanti honoris interrogati, retulerunt; Ideò ſe tantum vaccæ honorem deferre, quòd hanc matrem omnium animalium agnoſcerent, quæ ex largo penu lac, butyrum, caſeos proferret, imò boves progigneret quorum ope in agris colendis maximè adjuvarentur, denique cujus pelle ad calceos conficiendos uterentur: Adhæc aſſerebant, Vaccas à matre Dei benedictas eſſe, ut præ cæteris animantibus ſummo in honore haberentur.

Poten-





PARS UNDECIMA ORIENTALIS.

V.

Potentiſſimi Tartarorum Imperatoris Chami Canawæ in ampliſſima civitate Bramporta apparatus bellicus.



QUanta ſit Tartarici Imperatoris Chami Canawæ potentia, ex eo patet, quod referunt Angli, eum 21. Octobris, Anno 1608. paulo poſt ſuum in urbem Bramportam ingreſſum, ubi alioquin præſidium alit, & à bellicis muneribus vacuus animum viresq́; recolligere ſolet, ex bello cum 1500. elephantis 30000. equis. 10000 camelis, 3000 dromedariis domum rediiſſe. Solet is interdum unum elephantum cum ſex indomitis equis committere, ac vidiſſe ſe ait author, duos equos ſtatim ab Elephanto enectos, qui proboſcidem jugulo ipſorum circumvolvens fauces ipſis conſtrinxerit, ac dentibus cervicem confregerit. Refert etiam nobilem quendam ex regio ſatellitio puerum ab elephanto jam cicurato proboſcide leviter à terra in tergum ſublatum, poſteáque, ubi aliquandiu tergo inſediſſet, rurſum molliter in terram depoſitum eſſe.



VI.

Anglorum unà cum Tartarico quodam equite in sylvis castrametatio, quomodo noctu contra ferarum rabiem sese defenderint.



QUàm periculosa in plerisque Tartariæ locis sint itinera suo exemplo docet Robertus Caverta: Cum enim Barrandonum delatus, relicto Conductorum ac mercatorum comitatu, quem Caravanam vocant, solus cum suis iter Agram versus ingredi decrevisset; obvium habuit Canum quendam, seu istius regionis Equitem, 40. aut 50 sagittariis stipatum, qui itidem Agram versus pergebat. Itaque cum Angli istis se conjunxissent, jam 140. virorum agmine, sex dierum iter per densissimas sylvas, ubi ad 100 milliaria semper omnis generis feras, Elephantos, Leones, tygrides, catos sylvestres conspexerunt, sunt emensi Noctu castrametaturi, tentoria erexerunt, circumquaque luculentam ignem excitantes, quo à ferarum rabie & impetu essent securi.



VII.


Quomodo in Pythagoræorum regione, uxores post maritorum mortem comburi ſoleant. cap. 14.



DOctoris cujuſdam uxor poſt mariti ſui obitum currui triumphali inſidens, tenuiſſimo lineo amicta, ac caput precioſiſſimis gemmis exornata, à quatuor viris ad locum ſepulturæ ſeſe deportandam curavit, præcedente omnis generis muſicorum choro, atque agnatis eam proximè comitantibus. Cum ad ſepulturæ locum eſſet ventum, palus terræ infigebatur, ac ſcrobs quædam ante ejus pedes effodiebatur. Poſtea palo alligatur, ſubdito axillis ac pudendis nitrati pulveris ſacculo, ac ſuccenſo igni, ex precioſis lignis aliáque fragranti materia excitato, viva concrematur.

Qua






VIII.

Qua Pompa Magni Indiæ Mogolis theſaurius in publicum prodire ſoleat; de elephantorum item coram rege pugna cap. 16.



SUltanus Carawdon, magni Tartariæ Mogolis theſaurarius, vir ſummæ authoritatis, ingenti cum ſolennitate in publicum prodit. Alit enim 40. Elephantos, 200. Camelos ac Dromedarios, 1000. equos, qui ipſum, quotiescunque auro argentóque conſpicaus ad jus dicendum progreditur, comitantur. Præferuntur illi quatuor argentea, auróque obducta ſceptra ac decem inſignia vexilla. Eandem ferè cum ipſo Rege apud ſúbditos authoritatem obtinet. Ipſe vero Imperator, dici non poteſt, quàm magnificè ac ſplendidè vivat: Quotidie enim in conſpectum ejus quinquaginta Elephanti cum tympanis, tibiis atque tubis producuntur, qui coram ipſo alacriter pugnantes lethalibus vulneribus ſe mutuò ſauciant, ac tanto ardore in ſe invicem inſurgunt, ut nulla alia ratione quam fuſis ex igni artificioſo volantibus dirimi atque divelli poſſint.



JCB


IX.

Aliarum ferarum certamina; item nobilis cujusdam cum Leone coram magno Mogole duellum.



Ejusmodi ludicra certamina indies coram magno Mogole etiam per alias feras hircos, Cervos, Leones, Leopardos, lupos, crocodilos, equosque indomitos instituuntur. Si quis etiam ex equestri ordine ob facinora capitis damnetur, huic ex more gentis liberum est leonem ad duellum deposcere, quem si vincat, incolumis absolvitur. Ejus rei hic exemplum proponitur. Nobilis enim quidam cum Leone congressus, licet initio rem alacriter gereret, atque aliquot jaculis hostem suum transfigeret, tandem tamen ejus violento impetu prostratus discerpitur.






X.

Quomodo in ſeptentrionalibus inſulis prope Spitzbergam balenæ capi ſoleant.




BAlenæ in locis ſeptentrionalibus circa Spitzbergam, in latere propè caput prægrandes habent pinnas, quibus piſcatores uncum ſolent impingere, quòd eo loco vulnus magis ad vivum penetret: quod quam primum bellua ſenſerit, ſanguisque ejus caput invaſerit, tanto impetu aquam ſanguini miſtam per narium foramina; quæ in ſuperiore capitis parte patent, exſufflat, ut mali nautici apicem tranſcendat. Poſtquam verò impetu fundum verſus facto natando ſe ipſam fatigaverit, piſcatores ſcaphis appropinquantes, jaculis eam in ſuperiore corporis parte trajiciunt, quòd alioquin difficulter trucidari poſſet. Quia verò non abſimili ratione ab Indianis in S. Mariæ inſula balænæ capiuntur, hîc eandem figuram oculis ſubjicere viſum fuit.

F I N I S.










J
De Bry
SV
pt. 11
1619
Lat
cop 2





